
CURSUS
THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ
PER
PRINCIPIA LULLIANA
CUM
PRINCIPIIS ALIARUM SCHOLARUM COMPARATA
PRO
VERITATIS BRAVIO
SUSCEPTUS ET CONSUMMATUS
à
DISCIPULO
DOCTORIS ILLUMINATI ET MARTYRIS
B. RAYMUNDI LULLI
ET
AMATORE VERITATIS

SEBASTIANO KRENZER
Presbytero & Ss. Theol. ac Ss. Canonum Licentiato

PUBLICÆ DISQUISITIONI ET IMPARTIALI JUDICIO
MethoDo sChoLaſtIC à
EXPOSITUS
TRACTATUS PRIMUS.



J.E. Contgen fec. Mog.

Cum Licentia & Approbatione Cenſoris Ordinarii.

MOGUNTIÆ, Ex Typ. Elect. Aul. Acad. privil. apud Hæred. Haſſn.
Per ELIAM PETRUM BAYER.

9
7
451

BIBL… PVB·FLORENTINAE·

CENSURA ET LICENTIA ORDINARII.

PRæſens Curſus Theologiæ Scholaſticæ ex Principiis Doctrinæ Lullianæ pro quodam ſpecimine traditæ, continet Rationes, Reſolutiones & Demonſtrationes Dignitatibus, Proprietatibus & Operationibus Divinis apprimè convenientes & conformes. Quâ de causâ, ut publicæ Diſquiſitioni & impartiali orbis litterati Judicio exponatur, imprimatur. Ita Cenſeo & imprimendi licentiam hiſce tribuo Moguntiæ die 10. Februarii 1751.

PHILIPPUS FRANCISCUS JÆGER, U. J. D. Eminentiſſimi Archi-Epiſcopi & Principis Electoris Moguntini Conſiliarius Eccleſiaſticus & Fiſcalis Major, Collegiatarum Eccleſiarum S. Petri & S. Joannis Canonicus Capitularis & reſpectivè Decanus, Librorum Cenſor Ordinarius.

by Google

P. R. & Eximii P. Valentini Schmitt Abbatiæ Montis Specioſi S. Jacobi Ordinis S. Benedicti Moguntiæ Profeſſi & Philoſophiæ ac Ss. Theologiæ Lectoris Emeriti

APPROBATIO.

QUàm parùm idem ſimul eſſe poteſt, & non eſſe, ſicque Veritas non poteſt eſſe Veritati contraria, tam parùm improbare, ſed potiùs omnibus genuinæ Veritatis Amatoribus vel maximè commendare poſſum Curſum Theologiæ Scholaſticæ per Principia Lulliana cum Principiis aliarum Scholarum comparata &c. &c. à P. R. D. Sebaſtiano Krenzer S. S. Theologiæ & S. S. Canonum Licentiato compoſitum. Quò perfectior enim eſt Scientia infuſa, quàm acquiſita, eò perfectior etiam eſt Doctrina ex Principiis illius deſumpta & tradita; digniſſimum proinde præfatum librum Cenſeo, qui ad omnes præoccupatos meliùs inſtruendos, alioſque ſincerâ Veritate imbuendos, præli publici beneficio oculos & animos omnium penetret.

Datum Moguntiæ
die 5. Auguſti
1750.

P. Valentinus Schmitt Abbatiæ S. Jacobi, Ordinis S. Benedicti Profeſſus, ibidemque Profeſſor emeritus.

P. R. & Eximii P. F. JOSEPHI KUCKEISEN Ordinis Fratrum Minorum S. P. Franciſci Recollectorum Provinciæ Colonienſis S.S. Theologiæ Lectoris Emeriti, & quondam Provinciarum Thuringicæ Semel, & Argentinenſis bis Viſitatoris Generalis

APPROBATIO.

DIgniſſima Divo Auguſtino Sententia legitur Lib. 1. de Trin. Cap. 3. ubi ait: *Utile eſt plures à pluribus fieri Libros diverſo ſtylo, ſed non diversâ Fide, etiam de Quæſtionibus eiſdem, ut ad plurimos res ipſa deveniat, ad alios ſic, ad alios autem ſic &c.* Certè Sancta illa Quatuor Animalia, quæ Propheta Ezechiel Cap. 1. *impetu Spiritûs* agitari vidit, eandem traxerunt Quadrigam, non tamen eodem modo: Quis enim unquam vidit, quod *Homo*, *Leo*, *Bos* & *Aquila pari paſſu* ambulent? Quamdiu ergo Doctrina aliqua traditur *diverſo Stylo* ſed non *diversâ Fide*, quantumvis peregrina & paradoxa *primo aſpectu* appareat, non ideo ſtatim rejicienda eſt, aut calumniis traducenda. Etiam Doctor Gentium, & Magnus Apoſtolus Paulus ab Epicureis & Stoicis Philoſophis, dum JEſum & Reſurrectionem ejus annunciabat eis Act. 17. jam olim *novorum Dæmoniorum annuntiator* proclamatus eſt; propterea tamen Doctrinam ejus de errore ſuſpectam, aut è Cœ-

tu

tu Fidelium eliminandam eſſe nemo Catholicorum aſſeret: quæ enim Doctrina magis compellit intrare * aD ECCLesIaM, quàm Doctrina Pauli? Cum igitur non minùs, quàm Paulum LVX ab aXe DVXerIt LULLUM, atque ideo is *Doctoris Illuminati* titulo meritiſſimè inſigniatur: Cum item *Doctrina* præſentis Curſûs *Theologiæ Scholaſticæ* &c. &c. per P. R. D. Sebaſtianum Krenzer Ss. Theol. & Ss. Can. Licentiatum laudabiliter ſuſcepti & conſummati unicè innitatur Principiis B. Martyris Raymundi Lulli Tertii Ordinis Seraphici S. P. N. Franciſci, & neque Fidei, neque Moribus adverſetur, imò potiùs ſolidis Rationibus omni ſanæ Rationi exhibeat * DogMa aCCeptabILe *, hinc nihil impedit, quin, ut * DeCet CLIenteM, * CeLebrans DoCtrInaM * LIbenter aCCeDaM.

Moguntiæ die 7. Febr. in ipſo Feſto Purificationis B. V. Mariæ.

F. JOSEPHUS KUCKEISEN Ord. Fratrum Minorum S. P. F. Recoll. Provinciæ Colonienſis Lector Emeritus, & Pauperum Clariſſarum Moguntiæ Confeſſarius Actualis.

PRÆFATIO
ad
Lectorem Benevolum.

EN fructum ex arbore. Doctrinam Lullianam arborem dico latè expanſam in ramos pulcherrimos, eoſdemque fœcundiſſimos, qui indiſſolubili quâdam Coronâ redimiti, incincti, & concinno inter ſe ordine implexi fructus offerunt Univerſalis Scientiæ, fructus ſolidos, & cœleſtis planè ſaporis: qui ſi aliorum guſtui peregrinus, exoticus aut etiam periculoſus videatur, hoc ipſo produnt, palatum ſuum malis præjudiciis infectum, ſeque totos quantos alienos eſſe in ferenda criſi à tot viris Reverendiſſimis, Potentiſſimis, Illuſtriſſimis, & Literatiſſimis, quibus Doctrina Lulliana tam probè ſapiit, ut eam uberrimis & præclariſſimis Elogiis cohoneſtârint. Pauca, ut dictis hiſce meis fidem faciam, recenſenda duxi.

Reverendiſſimus Dominus *Arnaldus Albertinus* Epiſcopus Pacenſis & *Inquiſitor Apoſtolicus* in Regno Siciliæ in *commentariis Rubricâ & cap.* 1. *de Hæreticis lib.*6. *quæſt.* 13. Anno Domini 1533. editis ita ſcribit: *nec quidem aſſentior ei, qui Hæreticorum Gregi Magiſtrum Raymundum Lullum Civem Majoricenſem aggregare conatus eſt, Virum ſanè catholicum, integerrimæque vitæ ſpecimen &*

exemplar, cujus inclyta Doctrina, ſanctiſſimique mores toti Hiſpaniæ & Galliæ innoteſcunt, ut eum Sanctorum Catalogo potiùs adſcribendum ſentiam, qui hanc mortalem agens vitam Zelator fidei catholicæ fervidus extitit, teſtantibus id ejus opuſculis: divinoque lumine illuſtratus vehementer anhelavit ad inferendum humanis mentibus optimos mores, ſacramque fidem Chriſtianam &c. &c.

Eminentiſſimus Princeps Dominus D. *Ximenez de Ciſneros Inquiſitor Generalis Hiſpaniæ* Archi-Epiſcopus Toleti. *S. R. E. Cardinalis* judicium de Doctrina Raymundi Lulli tulit in literâ ſequenti ad multùm Nobiles Dominos juratos Civitatis & Regni Majoricarum directâ. multùm nobiles Domini! „ Secretarius Alphonſus „de Proaza mihi miſit veſtras literas & translationem Titulorum & Privilegiorum Doctrinæ „Magiſtri Raymundi Lulli, Doctoris Illuminatiſſimi: habuique valde magnum placitum illa videndi, & de omni eo, de quo ſuper hoc „mihi ſcribitis; quia in veritate teneo magnam „affectionem erga omnia opera ſua, quia ſunt „*magnæ Doctrinæ & utilitatis*; itaque credatis, „quod in omnibus, quibus potero, illa favore proſequar, & laborabo, ut publicentur & „legantur per omnia ſtudia, &c. &c.

Philippus Dei gratiâ Franciæ Rex Univerſis præſentes literas inſpecturis ſalutem! „Notum „facimus, quod nos audito Magiſtro Raymundo Lullio, exhibito præſenti, ipſum Virum „eſſe *bonum, Juſtum & catholicum reputamus, „& ad confirmationem ac exaltationem fidei chriſtianæ fideliter inſiſtentem.*

Pri-

Privilegia Doctrinæ Lullianæ â potentiſſimis Hiſpaniarum Regibus Ferdinandis, Alphons, denique Carolo quinto & ſexto, uti & â Franciſco hodiedum glorioſiſſimè regnante Auguſtiſſimo, Auguſtiſſimis glorioſiſſimæ memoriæ Imperatoribus, clementiſſimè conceſſa videri poſſunt in ipſis Tomis magni Operis Lulliani. è Societate JEſu videatur *R. P. Joannes Baptiſta Solerius* in actis. B. Raymundi Lulli Antverpiæ editis typis viduæ petri Jacobs Anno 1708. Tom. 5. menſe Junio, ubi B. Doctorem ab omnibus calumniis egregiè vendicat. Audiatur *&* *R. P. Joan. Antonius Ferrando* ex eâdem Soc. Jeſu Doctor Theol. in ſermone impreſſo 1695. ubi Doctrinam B. Lulli comparat cum Doctrinâ S. Pauli, & denique de ea ſic loquitur: *Doctrina bis certa, bis ſubtilis, & multis vicibus munda & ſine maculis.*

Reverendiſſimus verò P. *Hieronymus Natalis* unus ex decem primis Sancti Ignatii ſociis, poſtquam unum annum ſtudio Lulliano conſecrâſſet, rogatus quid de eâ ſentiret, ita exclamat: *utinam vulgò homines donum Dei ſcirent & capere vellent, quàm appoſita ſit hæc Ars atque Scientia ad veritatem naturali ratione tradendam ſinè ambage teſtium & Authoritatum!* Hæc & plurima alia Elogia authenticis munita refert Tomus primus magni Operis Lulliani, ubi præter innumera ferè ex omnibus literati orbis Ordinibus & Statibus enarrata Encomia etiam videre eſt Approbationes celeberrimæ Univerſitatis Pariſienſis, quæ Doctrinam B. Lulli, & Authorem ipſum hoc titulo honorat. *Homo novus, Scientia no-*

va, Doctor Barbatus, in ſuis Artibus & Scientiis approbatus.

Item quadraginta Doctores (quos inter Joannes Duns Scotus numeratur) & Baccalaurei Pariſienſes non vi, dolo, metu vel fraude ad hoc inducti, ſed ſuâ ſpontaneâ voluntate ad requiſitionem Magiſtri Raymundi Lullii Catalani de Majoricis aſſeruerunt juratò, quod ipſi à dicto Magiſtro Lullio *perſonaliter audiverunt* per aliqua tempora Artem ſeu Scientiam, quam dicitur feciſſe ſeu adinveniſſe idem Magiſter Raymundus..... aſſeruerunt etiam dicti Magiſtri, & omnes alii, ut prædicitur, per eorum Juramenta coram præfatis juratis noſtris, (Regiis) quod *dicta Ars ſeu Scientia erat bona, utilis & neceſſaria*, prout ipſi perpendere poterant, ſeu etiam judicare, & quod in eâ nihil erat *contra Fidem catholicam, ſeu etiam dictæ fidei repugnans, multa autem ad ſuſtentationem dictæ fidei, & pro ipſa facientia* in dictâ Scientia ſeu Arte poterant inveniri. Totum authenticum proſtat in Tom. 1. poſt catalogum librorum.

Ex eadem Sorbonâ Pariſienſi unum præ cæteris, præclarum Doctorem *Jacobum Fabrum Stapulenſem* præterire nullo pacto poſſum, qui in proëmio ad lib. B. Raymundi Lulli de laudibus B. M. V. ita ediſſerit: *ut verum fatear de me ipſo (cum modeſtia tamen loquar) in libris pii Eremitæ Raymundi plurimum mihi proficere viſus ſum, & ingratus nimium viderer & divini præcepti reus, niſi in publicum proferrem, quod omnibus intelligo profuturum. Quapropter librum ad publicum bonum recognovi: neque vos quidquam deterreat, quod Vir ille Idiota fuerit & illiteratus, horridæ rupis*

&

& vaſtæ ſolitudinis aſſiduus accola: nam & creditur quâdam ſupernâ infuſione dignatus, quâ ſapientes hujus Sæculi longè præcelleret &c. &c. ingenuè fateor, Raymundo fermè verba defuiſſe, quibus ſuos pulchros poſteritati mandaret conceptus: qui tamen valet introrſus aſpicere, nihil videt Barbarum, & quod ſententiam non contineat ſcitu digniſſimam; & Deus clementiſſimus tempeſtate noſtra ſua ſolitâ benignitate oculos hominum adaperiat, ut videre queant, quæ verè bona ſunt. Et in Præfatione ad volumen *librorum Philoſophiæ amoris & Proverbiorum,* quos dicat Alphonſo Cæſar-Auguſtæ Archi-Epiſcopo anno 1516. idem Doctor Sorbonicus Stapulenſis ſic loquitur & teſtatur, in noſtro ubivis gentium probè famigerato Pariſienſi Gymnaſio Opera Raymundi Lulli formis mandant diligenter, & ad alienas transmittunt oras: profitentur, cùm adventant, qui iſtas nôrunt Artes, tum publicè, tum privatim, quod etiam priore anno, qui fuit Chriſti omnium Servatoris & Salvatoris quingenteſimus ac decimus quintus ſupra milleſimum, ſacræ Paginæ Doctor Egregius Bernhardus Lavinheta favorabili auditorio factitavit. Ex his manifeſtum fit, quâ conſcientia Honoratus Tournely Doctor item Sorbonicus, ſed recentior, ex Gerſonio, qui Judicium Sorbonæ allegat, Doctrinam Lullianam novam phantaſiandi curioſitatem appellet: & quomodo hæc teſtimonia conſonent cum elogiis â viris Sorbonæ celeberrimis imo à toto ejus Univerſitatis Corpore ſub juramento Doctrinæ Lullianæ liberaliter conceſſis.

Neque tacitus prætermittere valeo Eminentiſſimum S.R.E. Cardinalem D. *Joannem Saenz,*

de Aguirre, qui in Editione prima Tom. 2. Theol. D. Anſelmi retractat ea, quæ de B. Raymundo minùs favens antea in priore Editione ſcripſerat: „utinam ante priorem hujus Tomi „Editionem legiſſem, ubi de illius Doctrina *ube-„riorem* cenſuram tuli: ſua itaque fama, quod ad „me attinet, integra eſto.

Qui igitur incerta aliorum, etiam maximæ authoritatis pro tunc non ſatìs informatorum Virorum dicta vel ſcripta mordaci animo audacter referunt, ut ſaltem aliquid in mente Auditorum hæreat, quo faciant ab ipſis hanc Artem & Scientiam Lullianam tanquam periculoſam, imò hæreticam apprehendi ac penitùs declinari: illi ſanè non obſtante ſubjuncto reſtituendæ famæ promiſſo, detracti honoris, & læſæ æternæ Veritatis rei permanebunt, neque aliter illi videntur conſcientiæ ſuæ ſatisfacere poſſe, quàm ſi verè ac ſincerè, itemque publicè cum Eminentiſſimo Cardinale de Aguirre dicta vel ſcripta ſua recantent, quod faciliùs præſtabunt, ſi conſulant antiquos & poſteriores Eccleſiæ Patres, in quibus paſſim videbunt non ſolùm in principiis & demonſtrandi methodo, ſed in ipſis adeò ſententiis Theologicis miram cum Lulliana Doctrina concordantiam.

Unum reſtat quo Adverſarii contra Doctrinam B. Lulli inſultant, & eam velut atrâ notâ ſignatam paſſim clamitant: nimirum Libros B. Doctoris catalogo librorum ab Eccleſia prohibitorum inſertos aliquando fuiſſe: Quod ut mentibus bonorum omnium penitus eradatur, hiſtoriam breviſſimè recenſebo.

Igitur Eimericus quidam in Regno Arragoniæ

niæ Inquiſitorem hæreticæ pravitatis ex officio agebat circa annum ab æra Chriſtianâ 1417. Terebantur tunc manibus Eruditorum libri Lulliani cœlitus B. Doctori dictati cum ſacra ſemper veneratione & pio ſtupore. Cum verò Doctrinæ cujuſdam Scholæ in pluribus validè contradicerent, maximè quòd B. Lullus immaculatam Beatiſſimæ Virginis Mariæ Conceptionem pro aris & focis defenderet & demonſtraret; exarſit in dicto Eimerico æmulatio implacabilis, qua abreptus Bullam quaſi Româ à Gregorio ſummo Pontifice hujus Nominis Undecimo emanatam fingit, ſpargitque per totam Cataloniam, vigore cujus Doctrina B. Lulli tanquam hæretica condemnaretur, proinde ultra millena B. Doctoris librorum Exemplaria è manibus privatorum & luci publicæ ſubtracta ſunt; quo attentato Eimericus præſtitit, ut animis multorum Doctorum inſidente hac ab eo hauſtâ de B. Lullo ſiniſtrâ Opinione res eò devoluta ſit, ut libri Lulliani hæreticorum catalogo inſerti fuerint; donec tandem favente ſemper Innocentiæ divinâ providentiâ, larva & ſubreptio detegerentur Romæ, ubi per teſtes authenticos (qui videri poſſunt Tom. 1. Magni Lulliani Operis poſt præfationem) probatum fuit, nihil ſimile Beatiſſimo Patri veniſſe in mentem: Bullam præfatam nequidem eſſe in debitâ formâ conſcriptam: verbo: eſſe Bullam, nullibi, niſi in mente malevolorum reperibilem, & propterea ex diſpoſitione & mandato Oeconomici & ſacri Concilii Tridentini, viſâ prædicta Bullâ, & propoſitionibus (ab Eimerico ut hæreticis allegatis) *iterum examinatis* per Patriarcham Venetum, qua-

tuor Archi-Epiſcopos, quatuor item Epiſcopos cum uno Abbate & duobus Generalibus Ordinum & quatuor Doctoribus ex omni ferè Chriſtianitate ſelectis Doctiſſimis & Religioſiſſimis Viris re diligenter & maturo conſilio diſcuſsâ prima die ſept. 1563. decretum eſt authoritate Concilii, expungendam fore eximii Doctoris Raymundi Lullii quamcunque operum improbationem ab indicibus, præſertim Pauli Papæ IV. librorum prohibitorum, ubi allegatur præfata Bulla fictitia, quam Eimericus Gregorii XI. eſſe affirmaverat: quod Decretum & ſtatutum ſervatum apparet in catalogo Sanctiſſimi Domini Papæ Pii IV. & in aliis catalogis librorum prohibitorum ad noſtra uſque tempora factis. Idem affirmavit cum Juramento R. P. Petrus Gil Soc. Jeſu Rector Collegii Montis Sion Majoricæ in proceſſu ibidem inſtituto cum authoritate Ordinarii anno 1612. ætatis ſuæ anno 62. ſe audiviſſe dici à Doctore Ludovico Joanne Vileta Canonico Barcinonenſi, qui aſtitit Concilio Tridentino cum Epiſcopo illius Civitatis D. Wilhelmo Caſſador, quod P. P. Concilii, quibus data eſt cura faciendi Indicem librorum prohibitorum, egerint, utrum prohibendi ſint libri Raymundi Lulli, & quod determinaverint non prohibere eos, cum Doctrina ipſius viſa ſit *vera & Catholica.* Addo, quod vix ullus Eccleſiæ Doctor tot ab univerſo erudito orbe obtinuerit Doctrinæ ſuæ Elogia, quot B. Lullus, quæ authenticis munita impreſſa ſunt Tom. I. magni Operis Lulliani.

Meritò igitur vi Brevis *Urbani VIII. Pontificis maximi* dati ſexta Octobris 1635. *Alumni omnes*

nes Collegii Sapientiæ Majoricenſis ultimis duobus ſtudiorum annis tenentur ſingulis diebus audire lectionem Artis B. Raymundi Lulli.

Ecce judicium hujus ſummi Pontificis de Sanctitate & Utilitate Doctrinæ Lullianæ, quæ etiam in Univerſitate Majoricenſi, Valentiana & aliis cum approbatione ſacræ Sedis Romanæ, & cum applauſu Collegiorum eſt, & fuit tradita.

Sufficiant hæc ad corrigendum perverſum de Doctrina Lulliana multorum à teneris imbibitum guſtum, iis verò, quibus fructuum ex arbore Lulliana decerptorum ſapor arridet, quàm Sanctè, tam certò promitto longè plures, magis excoctos, maturiores, adeoque ſuaviores ex eadem arbore fructus, dummodo ingenio mediocritatem meam ſuperante aſcenſum attentare & moliri lubeat. Ego de me ingenuè fateor, quod totam, quantulacunque illa eſt, Scientiam Lullianam ſtudio redemerim non ultra trimeſtri ſub manuductione tamen cujuſdam in Arte peritioris Magiſtri: fructus vero Theologicos in hoc opuſculo contentos ſex hebdomadum decurſu collegerim: *Summo autem Sacræ Rom. Eccleſiæ ac infallibili Judicio omnes apices humillimâ cum Veneratione ſubjicio.* Tu interim benevole Lector, qui doctiore oculo opuſculum meum perluſtrare atque examinare cogitas, depone priùs (quod per amorem Dei rogo, flagito, contendo) depone inquam fatale partium ſtudium, & tunc lege, Judica, ediſſere ſecundùm conſcientiam, an ex pauculis hiſce fructibus appareat, Doctrinam Lullianam inanem, ſterilem, aut potiùs (uti [illegible] luce clarius eſt) fœcundam, ſano plenam [illegible] incomparabilem

bilem & prorſùs cæleſtem eſſe. Quodſi deinde ſentias pruritum ad hanc Doctrinam impugnandam, gaudebo vehementer; quod tunc facis, fac citò, & ſi operæ pretium fuerit, nec hìc, aut in ipſomet B. Authore abundè jam refutatum reperiatur, videbis promptum facilemque ad defenſionem calamum, & ſic in Domino confido, fore, ut tandem per diſceptationes Doctrinæ Lullianæ veritas clariſſimè eluceſcat. Produximus autem (quod velim bene notes) hos fructus Theologicos in formâ ab Illuminato Doctore non uſitatâ, non quaſi ignoremus, formam Theologiæ Lullianæ propriam longè præſtantiorem, faciliorem juxta ac fortiorem ad convincendum eſſe, ſed ut uſui aliarum Scholarum & faciliori captui pro ingenio diverſis adhuc principiis & Ideis gravido etiam in hac parte nos accommodaremus.

Ex hoc capite etiam uſi ſumus latinitate comptè barbarâ & monſtroſâ, quam quidam Magiſtri Latinæ linguæ paſſim tradunt, & exigunt ad regulas ab Ethnicis oratoribus excogitatas, ut uſum hujus ſacræ linguæ difficiliorem redderent, itaque conſulerent marſupio ſuo. Quod reipſa aliud nihil eſt, quam puram Latinitatem corrumpere, & monſtroſum partum in locum genuini ſubſtituere. Qualis enim hæc Latinitas? *Peripateticos inter & Neotericos Lullum gaudere vult Tertium?* An non vocabulum *inter*, quod caſus ſubſequos trahit & flectit in accuſativos, ut vocant, gaudet jure præferentiæ in collocatione & Constructione? quid ergo ponitur inter duos accuſativos *medium*? quo jure interſeruntur hæc verba

ba: *gaudere vult* inter *Lullum & tertium*, cùm tamen *Lullus & tertius* in illo ſenſu unum quid eſſe debeant. Amabo, quâ laude dignus foret, qui hanc latinitatis artem imitaturus in naturalibus, equum, qui currum & currui alligatum lignum deberet trahere, non ante currum & lignum, ſed medium, inter currum & lignum jungeret? aut ſi eandem artem applicaturus ad alia opera artificioſa pingeret hominis effigiem, non relinquendo membra corporis, uti ea efformavit natura, ſed per phraſes & elegantias artificioſas frontem diſcerperet â naſo, *frontemque inter & naſum* poneret aurem ſiniſtram, & in hujus locum transferret mentum? Nonne bella effigies hominis? at ſimillima illi latinitati. Atque hæc ſufficiant ad ſimplicem & naturalem Illuminati Doctoris Latinitatis ſtylum vindicandum. Cætera relinquimus Ludimagiſtris duodennium puerorum, quibus per invidiam & contumelias fruſtra exſpectatam comptæ latinitatis victoriam præcinere per nos liceat.

Cupientes autem in viſceribus JEſu Chriſti omnem offenſionis lapidem in literato orbe removere, expetimus quàm demiſsè, tam enixè â Benevolo Lectore, & ab iis potiſſimum omnibus, quibus B. Lullus, ejuſque doctrina hactenus unguis (quod habet Veriverbium) in ulcere fuit. Ut ſi dogmata in hoc opuſculo contenta non ſat firmis ſtabilita rationibus, eáque propter convellenda eſſe ipſi judicent, ut, inquam, non procedant clanculum, & velut â tergo proditoriè invadentes: ut non agant, tacitis muſſitationibus: non ſuggeſtis in aures devotorum ſibique addictorum clientum meticuloſis exaggerationibus: non deductis perperam ex noſtris Reſolutionibus, & ſiniſtrè applicatis ſequelis, idque ad terriculamenta debilis cerebri, non intentis, ami-

cabili licèt ore, minis ob graviſſimas Lullo contrarias in Scholis & orthodoxâ Eccleſiâ authoritates, quas quidem ipſi, fruſtratis hucuſque votis, contra doctrinam Lullianam provocare allaborârunt: non nutibus verbiſque ad convitia collimantibus: his omnibus ut propter charitatem Dei parcant, iiſque penitus ſuperſedeant, iterum iterumque precamur. Prodeant verò tanquam viri, quorum modeſtia nota ſit omnibus Hominibus, in quorum cordibus diffuſa ſit Charitas Spiritûs Sancti, qui velint doctrinas ex juſtitia & veritate penſitare ac librare: qui ſepoſito partium ſtudio, enubilato contrariis præoccupationibus animo, aliis quoque, & præcipuè B. Raymundo Lullo ſanæ doctrinæ & Divinæ Illuſtrationis laudem, pretium & gloriam non invidere cupiant. Prodeant ſine bile, qui non aveant doctrinam à ſe nondum viſam, multò minùs examinatam, & nihilominus velut indignam vitâ cæcè judicatam canino dente diſcerpere, & lupina fame ante partum devorare ideo tantùm, quia non eſt proprius diſcerpere & devorare volentis partus. Prodeant ita in publicum, & calamo theologico demonſtrent, in quo capite Doctrina Lulliana defectum patiatur, & gratias illis cum omni veneratione & ſubmiſſione debebimus, ſiquidem id præſtiterint: ſin minùs; ægrè non ferent, quod & Nos modeſtiæ leges etiam non obliti B. Raymundi Doctrinam tot tantiſque encomiis & prærogativis glorificatam juſto zelo tueamur.

Reliquos noſtræ Theologiæ Scholaſticæ Tractatus, Deo, Superioribus & Publico faventibus, quam primùm fieri poterit, ceu fructus & Arbore Univerſalis ſcientiæ Lullianæ decuſſos prælum dabit.

Hos equidem cum *S. Hieronymo in Proëmio Iſaiæ* „non ignoro patere morſibus plurimorum, qui (ſti„mulante invidiâ) quod conſequi non valent, deſpi„ciunt. Sciens & prudens in flammam mitto manum & „nihilominus hoc â faſtidioſis Lectoribus precor, ut „... legant priùs, & poſtea deſpiciant, ne videantur „non ex judicio, ſed ex odii præſumptione, damnare „ignorata.

De Diviſione totius libri & hujus Theologiæ Scholaſticæ Lullianæ.

SIne jactantiâ comparamus quatuor partes Theologiæ noſtræ quatuor itidem ſacris animalibus, quæ Ezechiel in extaſin raptus Currui juncta conſpexit. *Aquila*, *primum* animal inſigniet Tractatum primum, in quo ſublime Divinæ Triados, & Trinæ Deitatis myſterium explicatur. *Secundum* animal, quod *Homo* eſt, inſigne Secundi Tractatus erit, qui de Deo-Homine, Redemptore & Divinæ Redemptionis ſubjectis, Angelis ſcilicet & hominibus tractabit. *Leo* Animal *tertium*, Tertio Tractatui inſerviet tanquam figura Roboris Gratiæ, de quâ, ejuſque ſeptem ſacris fontibus, ſeptem videlicet Sacramentis agetur. *Quartum* animal, nempe *Vitulus* bicornis præfigetur Tractatui quarto, in quo de virtutibus & earum oppoſitis vitiis Quæſtiones theologicæ movebuntur, ac reſolventur.

Digitized by Google

CURSUS
THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ
LULLIANÆ
TRACTATUS I.
DE
DEO UNO ET TRINO.
PARS I.
DE
DEO UNO, ET DIVINIS DIGNITATIBUS.

CUm ad clariorem hujus, aliorumque Tractatuum intelligentiam varia ſint præliminariter ſcitu neceſſaria; hinc Quæſtionem ſequentem in tres diverſas Partes dividere viſum eſt. Si verò materia hujuſce Quæſtionis, ejuſque pertractatio primâ fronte peregrina videatur & paradoxa, ne quæſò benevolus Lector ſubito impetu in cenſuras malè ſonantes prorumpat. Eadem enim Doctrina neceſſariò connexa cum Reſolutionibus ad Quæſtionem Tertiam & Nonam hujus Tractatûs jam approbata â Cenſore Ordinario in Libro, qui ſub titulo: *Dialogus inter Amatorem Veritatis & Diſcipulum Lullianæ Doctrinæ* Anno 1740. Moguntiæ ope præli in lucem prodiit, ac poſtea ad Viros litera-

ra-

ratiſſimos & famoſiſſimos Curiæ Romanæ pro approbatione & cenſurâ privatâ miſſa, ab iiſque examinata & ſine Correctione imò cum laude & puritis aſſecuratione remiſſa fuit.

QUÆSTIO I.
ET PRÆLIMINARIS
PARS I.

An id, quod eſt Deo Congruum, hoc ipſo ſit etiam Deo neceſſarium.

1. CErtum eſt *Primò* Deum, quandocunque agit, etiam ad extra, agere ſemper perfectiſſimè, proinde ſemper Congruè & decenter, id enim exigit ejus infinita Sapientia, aliæque divinæ Dignitates; & cùm modus agendi in Deo, etiam ad extra; ſit ipſe Deus, Deus autem ſit utique perfectiſſimus, etiam ejus modus agendi ſive ad intra, ſive ad extra perfectiſſimus eſſe debet: modus enim operandi Sequitur modum eſſendi: ex quo certum eſt *Secundò*, omnia, quæ Deus jam ad extra produxit, producta eſſe perfectiſſimè, adeòque decenter ac Congruè.

STATUS QUÆSTIONIS nunc eſt in eo: utrùm quod ponit Deus ad extra modo ſibi Congruo, poſſit vel potuerit omittere, aut alio modo ponere; an verò omittere non poſſit, & hoc præcisè modo ponere debeat? Bifariam excurrit hæc Quæſtio: *Primò* an pro priori rationis potuerit abeſſe à Deo decretum producendi modo ſibi Congruo aliquid ad extra v. g. Humanitatem Chriſti; item an pro priori rationis potuerit habere aliud decretum v. g. de producendâ quidem Humanitate Chriſti, ſed aliâ viâ, non per viam Generationis ex Beatâ Mariâ Vir-

Virgine: Sed per viam meræ creationis.... *Secundò* an effectus ad extra à Deo modo perfectiſſimo & Congruentiſſimo poſiti *realiter* omitti & in nihilo relinqui, vel ſaltem alio modo *realiter* poni poſſint, ac nunc à Deo poſiti ſunt? Cùm autem ex reſolutione hujus quæſtionis complanatio multarum difficultatum Théologicarum dependeat, ſolidis fundamentis noſtram Reſolutionem ſtabiliemus.

ARTICULUS I.

Reſolutiones ad hanc quæſtionem ex omnibus Scholis Anti-Lullianis.

2. RESOLUTIO I. ex Scholis *Thomiſtica, Scotiſtica, & Suareſiana*: potuit Deus pro priori rationis omittere Decretum, quod modò Congruè habuit de effectu ad extra v. g. de producendâ Humanitate Chriſti, & potuit pro priori rationis habere aliud Decretum de producendâ quidem Humanitate Chriſti, at alio modo, quo nunc fuit producta v. g. per viam meræ Creationis, non autem per viam Generationis ex Beatâ Mariâ Virgine.

3. *Ratio* I. Si Deus non potuiſſet pro priori rationis omittere Decretum, quod nunc habet, nec habere aliud, quàm quale nunc habet: ergò eſſet ejus voluntas adſtricta ad unum Specificum, imò individuale decretum: & Sic, quia eſſet magis conſtrictus & limitatus, ac nos homines, foret deterioris Conditionis, quàm nos, quod eſt abſurdum cogitare.

4. *Ratio* II. Congruum per hoc ipſum differt à neceſſario, quòd, ſi ponitur, ponatur rationabiliter & prudenter; non tamen ponatur neceſſariò: ergò Deus loco hujus Decreti congrui potuit pro priori rationis habere aliud Decretum.

5. *Ratio* III. Creatio mundi activa tota æternitate

tate non fuit in Deo realiter, alioquin debuiſſet ei in æternitate correſpondere creatio paſſiva: Cùm creatio activa ſine paſſivâ nec eſſe nec concipi poſſit: hoc autem eſt erroneum; ergò & Decretum de Adamo v. g. condendo, ſaltem pro priori rationis, potuit abeſſe à Deo.

6. RESOLUTIO II. Effectus ad extra à Deo producti potuerunt pro omni tempore relinqui in nihilo ſuî, adeoque realiter planè non eſſe.

7. *Ratio* I. Effectus ad extra producti ſunt entia contingentia: ergò ſicùt nunc ſunt realiter, ita realiter potuerunt non eſſe.

8. *Ratio* II. Si effectus ad extra neceſſariò ſunt, ergò aliter fieri non poteſt, nec potuit, quàm quòd FRANCISCUS in hoc Sæculo ſit primus Romanorum Imperator, in priori verò FERDINANDUS Quartus: item Deus neceſſariò permitteret peccata, nec ea impedire poſſet: imò peccata hominum fierent neceſſariò: quæ omnia ſunt abſurda. ergo &c. &c. cœtera Argumenta referuntur & ſolvuntur *Tract.* I. *Quæſtione Nonâ de Libertate Dei.*

ARTICULUS II.

Reſolutiones ad hanc Quæſtionem ex Scholâ Lullianâ.

9. RESOLUTIO I. Deus non potuit pro priori rationis omittere Decretum, quod nunc habet, vel ponere aliud, quàm quale nunc habet; Nobiſcum ſentit expreſſè S. Anſelmus L. de Trinitate paſſim & in aliis Libris. Item Nobiſcum ſentiunt Maurus, Eſparza, Ruiz, Viva & alii.

10. *Ratio* I. In Deo ad extra agente non datur Libertas contradictionis, ſed ſola Libertas à Coactione, ergò pro priori rationis &c. &c. *Probatur Antecedens*: Ea Libertas datur in Deo ad extra agente, quæ eſt perfectiſſima: nam omnis modus agendi,

qui in Deo eſt, ſequitur modum eſſendi, & eſt perfectiſſimus. Sed Libertas contradictionis non eſt perfectiſſima Libertas, ſed ea, quæ eſt à ſolâ Coactione: etenim Libertas, quæ non poteſt eſſe in Deo ad intra agente, quo modo certè Deus agit perfectiſſimè, non eſt perfectiſſima. Cùm ergò ſola Libertas à Coactione ſit in Deo ad intra agente, hæc debet eſſe perfectiſſima Libertas: &, cùm Libertas contradictionis in Deo ad intra agente eſſe non poſſit, hæc non eſt adeò perfecta: quod autem non eſt adeò perfectum, etiam non eſt in Deo ad extra agente, alias tunc haberet modum agendi ſibi intrinſecum & identificatum minùs perfectum, quàm ſit modus agendi ad intra, quod per ſe implicat.

11. *Ratio* II. Si pro priori rationis Deus potuiſſet omittere Decretum, quod nunc habet, potuiſſet Summa ejus Sapientia eligere imperfectionem præ infinitâ perfectione; nam Decretum, quod nunc habet Deus, abſque dubio eſt infinita Perfectio, cùm ſit actus Voluntatis divinæ & ipſe Deus: omiſſio verò, cùm ſit nihil, & quidem omiſſio infinitæ perfectionis, qualem pro priori rationis fingunt Adverſarii, utique eſt imperfectio, ſed hoc eſt impoſſibile, ergò &c. &c.

12. *Ratio* III. Quando Adverſarii concipiunt pro priori rationis omitti potuiſſe Decretum divinum, quod nunc Deus habet, meriſſimè fingunt: cogitant enim contra realem Veritatem, quæ in Deo datur: realiter Deus eſt in decreto immutabilis: realiter in Deo nihil datur prius aut poſterius: Adverſarii contra has Veritates reales cogitant de Deo Decretorum mutabilitatem pro priori rationis: Cogitant de Deo aliquid priùs negari poſſe; ergò ſaltem in intellectu ſano verè cogitante concipi nequit, quod pro priori rationis Deus poſſit omittere aut mutare decretum, quod nunc habet.

13 *Dices*. Fundamentum verè cogitandi, quod Deus pro priori rationis potuerit omittere decretum,

quod

quod nunc habet, eſt Libertas indifferentiæ & contradictionis in Deo.

14. *Contra* eſt efficaciter. Libertas contrarietatis ad bonum & malum morale repugnat Perfectioni divinæ; ergò etiam Libertas contradictionis ad ponendum vel omittendum Decretum de effectu reali extra ſe: v.g. de Adamo producendo. *Probatur Sequela.* ideo repugnat Deo Libertas Contrarietatis ad bonum & malum morale, quia hoc in ſtatu reali & reipsâ contrariatur *Sanctitati divinæ:* & vel ideo non licet nobis ſine fictione injuriosâ Deo cogitare, quod *pro priori rationis* potuerit ejus Voluntas eligere malum morale, quæ nunc elegit bonum, imó optimum: atqui etiam omiſſio Decreti, quod nunc Deus habet de Adamo condendo *reipsâ & pro ſtatu reali* contrariatur Immutabilitati divinæ; ergò vel ideo non licebit Adverſariis ſine fictione injuriosâ Deo cogitare, quod *pro priori rationis* potuerit ejus Voluntas omittere Decretum de Adamo condendo, quod nunc habet: breviſſimè, in *ipſis terminis* Sanctitati Divinæ repugnat malum morale: ergò etiam in ipſis terminis repugnat Immutabilitati Divinæ potuiſſe habere aliud Decretum, quàm quale nunc habet, vel illud omittere poſſe, quod nunc habet.

15. *Ratio* IV. Quando Deus agit ad extra, agit modo perfectiſſimo & ſibi congruentiſſimo, quod omnibus certum eſt: Sed ſi concipiatur pro priori rationis omittere hunc modum perfectiſſimum & ſibi congruentiſſimum, non concipitur iterùm modo perfectiſſimo & Congruentiſſimo agere; ergò modo non ita perfecto & ſibi Congruo: ergò Adverſarii indignas planè de Deo fovent cogitationes. Quod autem omiſſio modi hujus in agendo perfectiſſimi & Deo Congruentiſſimi non ſit æquè perfectiſſimus, patet, quia omiſſio eſt nihil, adeoque imperfectio: & præterea inconceptibile eſt, quomodo modus agendi perfectiſſimus, & ejus contradictio ſint modi æquè perfectiſſimi.

16. *Confirmatur nervosè*; Si hic modus agendi

perfectiſſimus & Deo Congruentiſſimus v. g. Adamum producendi & ejus omiſſio eſſent reſpectu Dei duo modi perinde perfectiſſimi, ſequeretur, quod Deus aliquem ex his modis realiter non habeat, nec habere poſſit; cùm pro ſtatu reali & uno indiviſibili nunc, quod nec habet prius, nec poſterius, quale ſolùm eſt in Deo & ipſe Deus, impoſſibile ſit dari duo ſimùl contradictoria; ergò &c. Sequeretur porrò, quod Deus neceſſariò carere debeat uno ex modis agendi perfectiſſimis, quod eſt abſurdum.

17. RESOLUTIO II. Effectus à Deo ad extra producti non poſſunt nec potuerunt pro omni tempore reali in nihilo ſui relinqui & planè realiter abeſſe.

18. *Ratio* I. Si effectus à Deo ad extra producti eſſent vel potuiſſent pro omni tempore reali in nihilo ſui relinqui, ſequeretur, quod potuerit realiter à Deo abeſſe Decretum de producendis hiſce effectibus: nam, ſi pro omni tempore reali effectus nunc producti potuiſſent eſſe nihil, Deus realiter non habuiſſet Decretum efficax de iis producendis, & conſequenter realiter Decretum, quod nunc habet Deus, ab ejus Voluntate abfuiſſet: hoc autem eſt impoſſibile, quia alias Deus realiter in decreto eſſet mutabilis, id, quod ſana & pia mens refugit cogitare.

19. *Dices* I. Sequeretur tantùm, quod Decretum Dei realiter poſſit abeſſe à Deo *denominativè*, non autem *entitativè:* in hoc autem nihil eſſe abſurdi.

20. *Contra eſt.* Quod Deum denominat velle & decernere, eſt ipſe actus divinæ Voluntatis, qui cum Deo eſt idem, ergò, Si Decretum Dei poteſt à Deo realiter abeſſe denominativè, poteſt à Deo realiter abeſſe id, quod ejus Voluntatem denominat volentem & decernentem, nimirùm ipſe actus Voluntatis divinæ, imò ipſe Deus: & ſic Deus abeſſet à Deo, quo quid abſurdius cogitari poteſt? nihil ergò patrocinatur Adverſariis illa phraſis, *denominativè, & entitativè*. Præterea ſi Deus potuiſſet habere aliud

aliud Decretum, potuiſſet habere alium actum intrinſecum, aliam terminationem ad alias creaturas: non enim aliud Decretum idem eſt, ac alia creatura terminata, ùt in terminis patet; nec eſt idem Deus *eodem modo intrinſece & eâdem intrinſecâ terminatione* ad alias creaturas reſpiciens: nam ſicut Decretum Dei ſimpliciter eſt *in Deo*, ita *aliud Decretum* (ſi pro priori rationis fuiſſet poſſibile) fuiſſet in Deo aliquid aliud *intrinſecè*.

21. *Dices* II. Sequeretur tantùm, quod Decretum Dei poſſit realiter abeſſe *terminativè* quoad effectum, non *principiativè* quoad ipſum actum voluntatis.

22. *Contra eſt.* Si termini & effectus ad extra pro omni tempore reali fuiſſent nihil, etiam in Deo non fuiſſet realiter *decretum efficax* de producendis his effectibus: & quia hoc decretum *efficax*, quod nunc habet Deus, eſt realiter ipſe Deus, tunc fuiſſet alius Deus vel nullus Deus: quod eſt maximè impoſſibile.

23. *Urges.* Si pro omni tempore effectus ad extra nihil ſunt, ſequeretur tantùm, quod à Deo realiter abeſſe poſſit *Decretum efficax* terminativè, non principiativè.

24. *Contra eſt primò.* Hoc ipſo, quod decretum Dei efficax de Adamo v. g. producendo non poſſit realiter abeſſe à Deo principiativè, ſequitur, quod termini & effectus non poſſint pro omni tempore reali eſſe nihil, & proinde, quod decretum Dei efficax etiam à Deo non poſſit realiter abeſſe terminativè: nam ſi ſit in Deo decretum efficax de Adamo producendo, facit ejus efficacia, quod Adamus non poſſit pro omni tempore eſſe nihil.

25. *Contra eſt Secundò.* Si effectibus ad extra nullo tempore reali exiſtentibus abeſt à Deo Decretum Dei efficax actuale de illis effectibus producendis, abeſt ex parte illius, ex parte cujus eſt efficax, non tantùm ex parte eorum, reſpèctu quorum eſt efficax: ſicut, ſi poſſet Dei omnipotentia abeſſe à Deo,

14

impoſſibilitatis effectibus, qui nunc ſunt poſſibiles, abeſſet non tantùm ex parte effectuum, reſpectu quorum eſt omnipotentia, ſed reſpectu illius, reſpectu cujus eſt omnipotentia; ſcilicet reſpectu Dei: Sed decretum Dei eſt efficax ex parte Dei, non ex parte effectuum: ergò ſi poſſent realiter omnes effectus eſſe nihil, abeſſet à Deo decretum efficax principiativè & ex parte Dei.

26 *Ratio* II. Si poſſint pro omni tempore realiter omnes effectus creati eſſe nihil: ergò realiter tunc deeſſet Deo Summa Largitas: ille enim non eſt Largus, multò minùs Summè largus, qui poteſt ſine ullo detrimento, quin aliquid perdat, ſine omni difficultate, quin onus ſentiat, quin vires atterantur &c. &c. alteri bonum largiri, & non facit: hæc ſanæ menti apparent evidenter: ſed Deus poteſt communicare bonum ad extra, quin aliquid perdat &c. &c. ergò, ſi id non faciat, non eſt ſummè largus, ſed neceſſariò eſt ſummè largus ſicùt ſummè bonus: ergò non poteſt non communicare bonum ad extra, & ſic non poſſunt pro omni tempore effectus creati eſſe nihil.

27. *Ratio* III. Deus non vult pro omni tempore reali effectus creatos eſſe nihil: ergò nec poteſt. Poteſtas enim & Voluntas in Deo ſunt idem, ergò non poteſt quid Omnipotentia producere, quod non ſimùl vult producere Voluntas: alias Poteſtas in ſuo actu poſſendi eſſet fortior, quàm Voluntas in ſuo actu volendi; & quia Poteſtas Dei eſt infinita, eſſet in ſuo actu poſſendi infinitè fortior Voluntate in ſuo actu volendi; & conſequenter Voluntas eſſet infinitè minor & debilior: quæ omnia ſunt abſurda. Qui invertere præſumit hoc Argumentum Lullianum, diligenter reflectat ad Decreti divini immutabilitatem, hæc enim quamdiù ſtat, tam diù immotum conſiſtet hoc, & alia Lulliana Argumenta. Porrò Scotus Lullo Coætaneus ad probandam demonſtrandamque immaculatam Beatæ Virginis Mariæ Conceptionem eodem uſus eſt argumento paſſim noto. *decuit, potuit, voluit: ergò fecit.* Quæ Demonſtratio utique hunc

hunc ſenſum habet: Deus fecit, quia voluit, & ideo voluit, quia potuit, & ideo potuit, quia decuit: Ecce Argumentum Scoti planiſſimè Lullianum.

ARTICULUS III.

Solvuntur Argumenta contra Doctrinam Lullianam ſuprà Articulo I, allata.

28. *Ad Rationem* I. *Reſolutionis* I. *n.*3. *Reſp.* I. retorquendo: ergò pro ſtatu reali eſſet adſtricta Dei Voluntas ad unum ſpecificum & individuale Decretum, quod, uti concedunt Adverſarii, ſi imperfectionem tollas à verbo *adſtrictus:* ita & nos concedimus, pro Statu intentionali verò, qui debet eſſe conformis Statui reali, ~~negamus~~.

29. *Reſp.* II. *retorqueo aliter*: ergò etiam oportet dicere Voluntatem Dei eſſe reſtrictam & limitatam ad unum ſpecificum actum moralem contrarietatis ſcilicet ad actum ſemper bonum.

30. *Reſp.* III. eſt Voluntas Dei propriè reſtricta & limitata ex imperfectione ad unum ſpecificum & individuale decretum *Nego*: ex perfectione eſſet determinata *Concedo.* termini *reſtrictus & limitatus* Deo non benè applicantur, non igitur propterea Deus foret deterioris conditionis ac homines: ſed Naturæ infinitè perfectioris.

31. *Ad Rationem* II. *N.* 4. Congruum à neceſſario differt per hoc, quod, ſi ponitur, ponatur rationabiliter & prudenter, non tamen ponatur neceſſariò in creaturis, quæ non ſemper agunt perfectiſſimè & congruentiſſimè, adeoque omiſſo uno congruo poſſunt congruentiùs ponere aliud *Concedo* in Deo, qui neceſſariò agit modo perfectiſſimo & congruentiſſimo *Nego* non enim datur modo agendi perfectiſſimo & Congruentiſſimo alter Oppoſitus vel adhùc perfectior vel æqualis.

32. *Ad Rationem* III. reſpondeo I. retorqueo:

creatio mundi activa totâ æternitate non fuit realiter, ergò etiam Decretum Dei de Adàmi productione non tantùm pro priori rationis, ſed realiter potuit abeſſe à Deo.

33. *Reſp.* II. *Nego Antecedens. Probationem Diſtinguo*: creationi activæ debuiſſet in Æternitate reſpondere effectus cum - & pro tempore ponendus *Concedo* in æternitate ponendus *Nego* creatio activa cùm ſit ipſe Deus, fuit utique in Æternitate, ſed hujus effectus creatus eſt incapax. Quod autem Deus jam in Æternitate denominetur creans, ſive habeat ſibi identificatum actum creationis activæ intrinſecum, quin tamen in æternitate fuerit creatura cum creatione paſsivâ realiter diſtinctâ, inde eſt, quia Deus in ſuo actu agendi non eſt alligatus ulli tempori, cui neceſſariò alligata eſt actio paſſiva: & cùm tempus ipſum ſit creatura: ~~tempus~~ autem non fuerit in æternitate, neque actio paſſiva potuit dari in Æternitate, in quâ nihilominùs Deus habet actum creationis activæ intrinſecum ſibi identificatum, & proinde etiam debet in Æternitate à nobis denominari creans activè.

34. *Urges* I. Quando creatura producit activè, eodem tempore debet dari effectus & productio paſſiva: ergò ſi Deus in Æternitate crearet activè, etiam in Æternitate deberet dari creatio paſſiva. *Reſp. Nego. Conſeq. diſparitas eſt*: creatura in agendo eſt alligata tempori præſenti, ſicùt in exiſtendo, nec poteſt fœcunditatem ſuam extendere ad tempora futura, ſed dùm agit, pro præſenti fœcunditatem ſuam transfundit in effectum. Econtra Deus nec in exiſtendo nec in agendo eſt alligatus ulli tempori & fœcunditatem ſuam æternam ad omnia tempora extendere & transfundere poteſt, quin ceſſet aut incipiat.

35. *Urges* II. ergò etiam Deus ante mundum Conditum jam erat actualiter creaturis præſens. ℞. *diſtinguo*: præſentiâ immenſitatis ſibi intrinſecâ *Concedo*, extrinſecâ ſibi, & creaturis intrinſecâ *Nego*: hæc enim eſt alligata tempori.

36. *Ur-*

36. *Urges* III. Quod actu non eſt, illi Deus non poteſt actu eſſe præſens: ſed ante mundum Conditum creaturæ non ſunt actu: ergo illis Deus non eſt actu præſens.

37. *Reſp.* I. Corrigo majorem, quod actu non eſt, *illud Deo* non poteſt eſſe actu præſens, & ſic vera eſt.

38. *Reſp.* II. Quod actu non eſt, illi Deus non poteſt actu eſſe præſens præſentiâ ſibi intrinſecâ & immenſitate *Nego* præſentiâ ſibi extrinſecâ creaturis verò intrinſecâ & reciprocâ *Concedo.*

39. *Ad Rationem* I. *Reſolutionis ſecundæ N.* 7. effectus ad extra ſunt entia contingentia: ergò ſicùt nunc ſunt realiter, ità potuerunt non eſſe: *diſtinguo conſequens*: quantum ad exigentiam effectuum ad extra. *Concedo*, quantum ad exigentiam divinarum perfectionum, decreti divini immutabilis *Nego.* effectus creati antequàm ſunt, in ſe ſunt nihil, conſequenter nec poſſunt habere exiſtendi exigentiam. Sed divina largitas, divinum Decretum de effectibus extra ſe ſecundum Infinitatem, Largitatem, Sapientiam &c. &c cùm & in tempore producendis jam eſt in Æternitate & immutabile: proinde oportet & ei reſpondere effectus in tempore determinato.

40. *Ad Rationem* II. *N.* 8. *Concedo primam ſequelam*, quod aliter fieri nec poſſit, nec potuerit, quàm quod FRANCISCUS in hoc Sæculo ſit Primus Romanorum Imperator, in priore verò FERDINANDUS IV. id enim exigit Decretum Dei æternum & immutabile de rebus ad extra ordinandis. Sed quid inde abſoni inferes?

41. *Concedo etiam ſecundam ſequelam*, quod Deus neceſſariò permittat peccata, nec impedire poſſit. præterquàm enim, quod id exigat Decretum Dei permiſſivum, æternum & immutabile, ſequeretur ex oppoſito, ſi Deus poſſet impedire peccata ſine omni contrarietate & oppoſitione ſuorum aliorum attributorum, & ſine omni difficultate, & non impediret, ageret contra Sanctitatem infinitam: ſicùti enim crea-

tura agit contra charitatem, ſi ipſa præcisè ſola graviſſimum proximi malum ſine omni difficultate & incommodo poſſet impedire, & non impediat; ad hoc enim tenetur lege charitatis, ita Deus in dato caſu ageret contra infinitam ſuam Sanctitatem, ex quâ (non quidem per modum legis, ſed perfectionis id exigentis) tenetur infinitè magis, quam creatura ex lege charitatis impedire graviſſimum malum, quod eſt peccatum, ſi poſſet.

42. Quòd autem non poſſit impedire, deducitur etiam ex eo, quia, dùm Deus creaturam rationalem producit, imprimunt tali creaturæ omnes Dignitates divinæ ſuas Ideas, quas & quomodo creatura poteſt recipere: conſequenter & Libertas divina imprimit creaturæ rationali Ideam ſuî, non quidem à ſolâ coactione ad bonum, qualis Naturæ divinæ propria eſt, ſed indifferentiæ, quæ ad actionem & omiſſionem in agendo tendere poſſit, ſiquidem & ipſa creatura ex nihilo exierit. Hanc autem Libertatem Deus læderet aut tolleret, ſi eam vel phyſicè vel moraliter impediret, ne arbitrio ſuo ad bonum, quod eſt aliquid, & ad malum, quod nihil eſt, uti poſſet: derogaret item Deus juſtitiæ ſuæ tùm remunerativæ, quæ non tantùm præmiare poſſet actus creaturarum rationabilium in viâ: ſi neceſſariò fiant, quam ſi ex libertate indifferentiæ: tum vindicativæ, quæ eſſet otioſa in puniendis malis. Nec dicas juſtitiam vindicativam non eſſe virtutem per ſe & abſolutè, ſed tantùm præſuppoſito demerito, ſicuti & Pœnitentia talis Virtus eſt. Nam Pœnitentia præſupponit demeritum in eo, qui habet hanc virtutem; quod in Deum non cadit; Juſtitia verò Vindicativa ſupponit demeritum in alio, quod cùm Deus permittere debeat, etiam illud punire debet. Porrò cùm Deus nec Virtutem de novo, nec actum Virtutis, qui in Deo cum virtute eſt realiter idem, acquirere poſſit, ſequitur, quod nec juſtitiam vindicativam, nec ejus actum de novo poſt demerita acquiſiverit, ſed & virtutem illam habuerit, & ejus actum in æternitate, & quidem im-

immutabiliter, quamvis pro tempore tantùm, cujus ſcilicet creaturæ ſunt capaces, exercendum.

43. *Tertiam ſequelam diſtinguo*: neceſſariò fierent peccata hominum neceſſitate antecedente libertatis creatæ determinationem, quaſi hæc ab aliquo extrinſeco neceſſitata ſit vel etiam ab intrinſeco neceſſariò ad peccatum inclinaverit *Nego*. neceſſitate conſequente ipſam liberam creaturæ determinationem, quæ etiam ſe poterat ad bonum determinare, non autem determinatura erat, & ſic in æternitate fuit prævisâ *Concedo*. dum Deus in æternitate decernit neceſſariò rationali creaturæ dare Libertatem indifferentiæ in viâ, & ita permittere peccatum, ſimùl videt creaturam rationalem non uſuram Libertate ſibi conceſſâ in bonum, in quem finem tamen ei data eſt, ſed ad malum abuſuram. Et quia hæc ſcientia Dei falli non poteſt, certiſſimè eveniet peccatum, & inevitabiliter poſt determinationem peccati liberè à Creaturâ rationali ponendam & à Deo prævisâm. Ubi velim benè notes terminos *antecedenter & conſequenter* benè quidem applicari poſſe ad creaturas ad Libertatem creaturarum, in quibus datur prius & poſterius, nunquàm tamen eos torquere licet ad actus Dei, in quibus eſt ſumma identitas. Cœtera, quæ hic dici poſſent, exponentur hoc Tractatu I. infrà in *Quæſtione de Libertate Dei.*

PARS II.

Quæſtionis Præliminaris.

Utrum Deus ſemper producat optimum ad extra, ſive creaturam perfectiſſimam.

1. OPtimum, de quo in præſenti quæſtione ſcholæ diſceptant, ſumi poteſt in duplici ſenſu: *primo* optimum abſolutè, ſive creatura, quæ in ſe habet eas & tot perfectiones, ut alias & plures in ſuî crea-

creatione capere non poſſit. *Secundò* optimum reſpectivè, ſive creatura, quæ reliquas creaturas omnes exiſtentes & poſſibiles perfectionibus ſuis excedat, nec ipsâ excedi poſſit ab alterâ, de utroque optimo hic quæritur, an Deus tale producere debeat aut poſſit.

ARTICULUS I.

Reſolutiones ad hanc quæſtionem ex Scholis Anti-Lullianis.

2. RESOLUTIO I. Ex triplici Scholâ Lullo contraria. Deus nequidem poteſt producere ad extra optimum abſolutè, ſive creaturam in ſe perfectiſſimam ita, ut eadem creatura non potuerit à Deo plures recipere perfectiones.

3. *Ratio* I. Creatura ût ût perfecta eſt ſolùm limitatæ virtutis & perfectionis, nec exhaurit omnipotentiam Dei: poteſt ergò recipere plures in infinitum perfectiones accidentales, & ipſa tamen manere in eâdem ſpecie entium creatorum.

4. *Confirmatur.* Creatura poteſt ſibi ſucceſſivè acquirere plures perfectiones accidentales, ergò etiam Deus eaſdem perfectiones potuit ei tribuere in ſuî creatione.

5. *Ratio* II. Deus non tantùm poteſt agere ad extra ût Author naturæ ſe exigentiis eſſentiæ creatæ accommodans, ſed etiam ût abſolutus Dominus, quo modo agens infra vel ſupra naturæ creatæ exigentiam dare poteſt: ergò licet modò quamvis naturam creatam in ſuo eſſe producat ſecundum ſuam intentionem perfectiſſimam, aliter tamen vel perfectiorem vel imperfectiorem producere potuiſſet.

6 RESOLUTIO II. Ex iiſdem Scholis: Deus nequidem poteſt producere ad extra optimum reſpectivè, ſive creaturam ita perfectiſſimam, ut alias omnes exiſtentes & poſſibiles ſuis perfectionibus excedat.

7, *Ratio*

7. *Ratio.* creaturam qualicunque perfectione dotatam inter & omnipotentiam Dei eſt infinita diſtantia: ergò reſtant ſemper perfectiores & perfectiores in infinitum creaturæ ab eâdem Omnipotentiâ producibiles: nec unquàm illa diſtantia expleri poteſt.

8. *Confirmatur.* Ævum in duratione non poteſt habere ultimum inſtans, ultra quod nullum aliud ſit; ergò etiam perfectio accidentalis: v. g. gratia ſupernaturalis in animâ non habet ultimum gradum, ultra quem nullus alius ſit poſſibilis: idem eſt de creatâ perfectione eſſentiali: v. g. homo habet eſſentiam perfectiorem bruto & Angelus homine & ſic debet alia & alia perfectior natura creari poſſe in infinitum, ſicùt in ævo unum inſtans ſequitur aliud in infinitum.

ARTICULUS II.

Reſolutiones ad hanc quæſtionem ex Scholâ Lullianâ.

9. RESOLUTIO I. Deus, quoties agit ad extra, producit optimum abſolutè, ſive talem creaturam, quæ non poteſt nec potuit recipere plures perfectiones, quàm in ſuî productione accepit.

10. *Ratio* I. Deus per Decretum æternum noluit plures perfectiones dare creaturæ; ergò illi nec potuit plures dare, conſequenter creatura nec plures potuit recipere; *probatur conſequens:* Voluntas in Deo & poteſtas ſunt ſummè idem: nec una plus poteſt, quàm altera: alias una eſſet in poſſendo aut volendo major alterâ, & quia quævis eſt infinita, una foret alterâ infinitè major & altera infinitè illâ minor, quod eſt impoſſibile: igitur ſicùt Deus producendo creaturam, huic tales præcisè, & non plures voluit dare perfectiones, quam dedit, ita nec plures potuit dare: ergò hæc creatura ſemper eſt abſolutè perfectiſſima, & optimum abſolutè. Quod

autem Deus etiam non *potuiſſet* tali creaturæ plures dare perfectiones, patet inde, quia Decretum Dei *æternum eſt realiter immutabile*: proinde *realiter* aliter Deus agere non potuit, quàm modò. Obſcura & ficta illa diſtinctio de prioritate rationis abundè refutata eſt Quæſtione præcedenti.

11. *Dices.* hæc eſſe vera pro hoc rerum & Decretorum divinorum ordine, non pro alio poſſibili.

12. *Contra eſt.* non eſt poſſibilis alius Decretorum divinorum ordo: vel enim eſſet poſſibilis ante vel poſt Æternitatem: utrobique ſequitur in Deo mutabilitas, quæ Deo competere non poteſt. Si iterùm recurras ad ſtatum rationis pro priori & poſteriori, oſtendis te ad quodvis ſolidum Argumentum in fictionum tenebras & obſcuritates tanquàm in ultimum refugii locum relabi.

13. *Ratio* II. Quando Deus agit ad extra, ſemper agit ſummâ cum Juſtitiâ: ergò cuique naturæ creatæ tantùm ex intentione ſuâ tribuit, quantum ipſi ſapientia videt convenire, & nec plus, nec minus, ergò hoc ipſo producit ſemper optimum abſolutè.

14. *Nec dicas* I. hoc tantum procedere de Deo, agente ùt Authore Naturæ, non de eodem agente ùt Domino abſoluto.

15. *Contra eſt* I. Quando Deus producit aliquid ad extra agit *realiter*, conſequenter non tantùm ùt abſolutus Dominus, ſed ſimùl ùt ſummè juſtus, ſapiens, largus &c. &c. ergò manet Argumentum.

16. *Contra eſt* II. Deus ùt abſolutus Dominus non poteſt realiter aliquid agere contra ſuam Juſtitiam, largitatem, ſapientiam &c. &c. alias contra ſeipſum ageret, cùm iſtæ dignitates ſint cum Deo ſummè idem. Ageret autem contra ſuam ſummam Juſtitiam, ſi creaturæ plùs aut minùs perfectionis daret, quàm videt ejus naturæ congruere: ageret contra ſuam ſummam Largitatem & Sapientiam, ùti ex ratione tertiâ & quartâ videbimus: igitùr ùt abſolutus

tus Dominus non poteſt creaturæ, quam producit, plus perfectionis tribuere, quam modò dedit: ergò illa diſtinctio in cerebro obſcuro excocta: *ut abſolutus Dominus & ùt Author naturæ* ſapere non poteſt iis, qui ſecundum rei veritatem judicant.

17. *Nec dicas* II. Sæpe creaturam non habere perfectionem ſibi ex naturâ convenientem, ùt patet in mutis, ſurdis, monſtris. &c. &c. ergò Deus agens ſummâ cum Juſtitiâ non ſemper tantum perfectionis tribuit creaturæ, quantum illi videt ex naturâ ſuâ convenire.

18. *Contra eſt.* Adverſarii non reflexerunt ad vocabula: *ex intentione ſuâ*: Deus agens ex ſummâ Juſtitia, agit etiam ex ſummâ Libertate in creaturis conſervans Ideam ſuæ Libertatis, proinde relinquens poteſtatem finem naturæ naturatæ & naturantis intentum univerſaliter, particulariter impediri aut inverti.

19. *Ratio* III. Quando Deus agit adextra, ſemper agit cum ſummâ Largitate; ſed ſi creaturæ productæ daret tantum perfectionis, ut infinitè plures perfectiones tribuere poſſet, non ageret ſummâ cum Largitate, quia daret infinitè minus, quam ſine omni damno & difficultate dare poſſet: quomodo enim apud creaturas eſſet largus, qui ad extra ſine omni damno & difficultate alteri longè plus dare poſſet, & longè minùs daret, ergò &c.

20. *Ratio* IV. Quando Deus agit ad extra, agit ſummâ cum ſapientiâ: ergò dat creaturæ tot & tales perfectiones, quot qualesque elargiendo ſibi & ipſi videt eſſe congruentiſſimum: ergò elargiri pauciores vel plures non eſt Deo & creaturæ æquè congruum: alias pro eodem tempore reſpectu creaturæ & pro eâdem Decreti divini immutabilis æternitate deberet Deus neceſſariò & creatura carere aliquo utrique maximè Congruo; cùm pauciores & plures perfectiones ſimùl eodem inſtanti nec Deus dare, nec creatura recipere poſſit: & tamen utrumque dare & recipere tùm pauciores tùm plures eſſet dare & recipere maximè congruum: Hoc autem eſt im-

impoſſibile, quod Deus neceſſariò carere dabeat aliquo inſtanti aliquâ largitione ſibi maximè congruâ: igitùr Deus ad extra agens ſemper producit perfectiſſimum & optimum abſolutè.

21. RESOLUTIO II. Deus poteſt & debet producere optimum reſpectivè ad extra.

22. *Ratio* I. Deus in hoc rerum & Decretorum ordine vult producere optimum reſpectivè, ùt concedunt Adverſarii, & alius rerum ordo eſt impoſſibilis realiter propter realem Decreti divini æterni de rerum creatione immutabilitatem: ergò debet producere optimum reſpectivè.

23. *Ratio* II. Si Deus non poteſt producere optimum reſpectivè, ergò non eſt ſummè largus erga id, quod modò in hoc rerum ordine eſt perfectiſſimum: ille enim non eſt ſummè largus, qui poſſet ſine ullo damno & incommodo dare plus & plus in infinitum, & daret minus & minus oppoſitum pluri; quod ſequitur, ſi Deus non poteſt producere optimum reſpectivè: hoc autem eſt impoſſibile: ergò Deus poteſt producere optimum reſpectivè. Si autem poteſt, etiam debet Deus producere illud nam Neceſſitas eſt æquè Dignitas divina ac Poteſtas: ſicut enim Deus eſt infinitè potens, ita eſt neceſſariò largus, infinitè neceſſarius &c. &c. ergò quod competit realiter uni Dignitati divinæ, etiam convenit alteri.

24. *Ratio* III. Si Deus non poteſt producere optimum reſpectivè: ergò eſſet infinitè plus in potentiâ, quàm in actu: nam infinitè plus poſſet producere, quàm actu produceret. Hoc autem eſt impoſſibile: quia plus eſſe in potentiâ, quàm in actu, eſt imperfectum: ergò infinitè plus eſſe in potentiâ, quàm in actu, eſt infinitè imperfectum, quod de Deo impoſſibile.

25. *Dices* I. Deum ſemper eſſe in actu in agendo ad intra, & ſic habere actum perfectiſſimum, non verò in agendo ad extra.

26. *Contra eſt.* Eſſe in actu ſimpliciter, eſt ſimpliciter perfectius, quàm eſſe in potentiâ, quia actus

perfi-

perficit potentiam: ergò etiam eſſe Deum in potentiâ ſemper in agendo ad extra eſt imperfectius, quàm ſemper eſſe in actu in agendo ad extra: ſed ſi Deus non poteſt ad extra producere optimum reſpectivè, ſemper eſt in potentiâ, & hoc in infinitum, ergò eſt infinitè imperfectus, quod implicat.

27. *Dices* II. Eſſe ſemper in potentiâ & hoc in infinitum eſt imperfectius, quàm eſſe ſemper in actu. *Diſtinguo.* Si actus perfectiſſimus ad extra non implicat *Concedo.* Cùm autem ſit impoſſibilis *Nego*

28. *Contra eſt.* Deus in hoc rerum & Decretorum ordine vult aliquam creaturam, quæ alias perfectionibus ſuis antecellat; ergò vult optimum reſpectivè in hoc rerum & decretorum ordine, alius autem rerum ordo eſt realiter impoſſibilis propter decreti divini realem immutabilitatem, ùt modò hic dictum eſt *N.* 12. & poſitio alteriùs Decreti pro priori rationis eſt meritiſſimum figmentum refutatum ſolidè *Quæſtione præcedente N.* 10. 11. 12. 13. 14. & refutabitur infra *Quæſtione de Libertate Dei.* ergò etiam poteſt, ſi velit, & ſi velit & poſſit, etiam debet producere actum perfectiſſimum ad extra; nam, ſi velit & non poſſit, aut poſſit, & non debeat, Voluntas in volendo eſt major Poteſtate, & quia Voluntas Dei eſt infinita, foret infinitè major Poteſtate divinâ, & hæc proinde infinitè minor: Poteſtas item eſſet infinitè major Neceſſitate divinâ, quod totum eſt ſummè impoſſibile: ergò actus perfectiſſimus ad extra reſpectu Dei agentis non eſt impoſſibilis.

29. *Dices* III. Ante mundum conditum Deus etiam fuit in potentiâ condendi mundum, quin propterea ei adhæreat ulla imperfectio: ergò, licet Deus ſit in potentiâ producendi perfectius & perfectius in infinitum ad extra, propterea non erit in agendo imperfectus.

30. *Contra eſt.* Falſiſſimum ſupponunt Adverſarii, quod ante mundum conditum Deus fuerit in potentiâ creandi mundum, cùm potiùs in Æternitate habuerit actum creationis ſibi intrinſecum: quod

deductum vide *Quæſtione præcedente N.* 33. & 34.

ARTICULUS III.

Solvuntur Argumenta contra Doctrinam Lullianam ſuprà Articulo I. *allata.*

31. *Ad Rationem* I. *N.* 3. Creatura ùt ùt perfecta eſt ſolùm limitatæ virtutis, nec exhaurit Omnipotentiam Dei. ergò poteſt plures in infinitum recipere perfectiones: *Concedo antecedens. Nego Conſequentiam.* quòd plures recipere non poſſit, deducitur ex Dignitatibus divinis, Sapientiâ, Juſtitiâ, Decreto realiter immutabili &c. non ex limitatâ creaturæ virtute.

32. *Ad confirmationem: N.* 4. Quòd creatura ſucceſſivè ſibi acquirere poſſit plures perfectiones, inde eſt, quia Juſtitia divina dedit creaturæ tantam perfectionem, quantam ei convenire ſapientia prævidit, in eum finem, ut benè operando plus perfectionis acquirat. Quod autem Deus in productione huic creaturæ plures perfectiones dare non potuerit, deducitur ex Dignitatibus divinis Numero præcedenti adductis.

33. *Ad Rationem* II. *N.* 5. Quando Deus agit realiter, non tantùm agit cùm ſupremo Dominio, ſed ſimùl neceſſariò agit cum ſummâ Juſtitiâ, Sapientiâ, Decreto immutabili &c. &c. ergò inanis illa diſtinctio, *ùt abſolutus Dominus & ùt Author naturæ* nihil valet. *Secundò* Deus ùt abſolutus Dominus nil poteſt agere contra ſuam Juſtitiam, Sapientiam &c. &c. quod faceret, ſi creaturæ plus daret perfectionis, quàm modò dedit. *Tertiò*: ſi potuiſſet dare plus perfectionis creaturæ in ſuî productione, habuiſſet Decretum aliud, & hoc fortè horæ quadrante ante æternitatem.

34. *Ad Rationem Reſolutionis* II. *N.* 7. Quamvis diſtantia Deum inter & creaturam expleri nunquam poſſit, non ſequitur, quòd Deus ſemper plu-

res

res & plures in infinitum perfectiones poſſit producere, alias id etiam voluiſſet. Vide rationes noſtras ſupra N. 22. 23. & 24.

35. *Ad confirmationem N.* 8. Diſparitas eſt *primò*, ævum ex naturâ ſuâ & definitione juxta Adverſarios eſt tempus habens ſucceſſivè inſtantia in infinitum, & hoc Deus voluit: econtra creaturam nemo hactenùs ùt ùt audax præſumpſit definire, quod ſit ens à Deo creatum ſupponens alias creaturas perfectiores poſſibiles in infinitum: neque tot & tales Deus voluit producere: igitùr nec potuit: *Secundò*, ævi inſtantia in infinitum ſucceſſiva non repugnant divinis Dignitatibus: quibus tamen repugnat poſſibilitas creaturæ in infinitum perfectioris: porrò quid ſentiendum ſit de ævo, expedietur Tractatu IV.

PARS III.

QUÆSTIONIS PRÆLIMINARIS.

An veritates de Myſterio Fidei Orthodoxæ ſint evidenter demonſtrabiles.

1. STATUS QUÆSTIONIS eſt: utrùm Veritates iſtæ independenter à ſacris Literis per trinas propoſitiones ſano Intellectui humano claras evidentes & demonſtrativas probari poſſint?

ARTICULUS I.

2. RESOLUTIO QUÆSTIONIS ex tribus ſcholis Thomiſtica Scotiſtica & Suareſiana. Non ſunt poſſibiles ejuſmodi demonſtrationes, ſed una præmiſſarum ſemper debet eſſe de Fide aut ex ſacris Scripturis petita v. g in hoc ſyllogiſmo, quo probatur ſanctiſſima Trinitas: quod Deus dari revelavit, hoc dari certum eſt & evidens: atqui 1. *Jo-*

annis 5. Deus revelavit dari in Deo ſanctiſſimam Trinitatem, ergò certum eſt & evidens eam dari reverâ.

3. *Ratio* I. Si darentur ejuſmodi demonſtrationes in ſtatu Quæſtionis expoſitæ, jam Fidei noſtræ Myſteria non eſſent ſupernaturalia: cùm ſupernaturale excedat vires naturæ creatæ.

4. *Ratio* II. 2. *Corinth.* 10. *ait Apoſtolus*: *Militem Chriſti oportere omnem intellectum in captivitatem redigere in obſequium Fidei*: ergò intellectui non poſſunt eſſe evidentia Fidei noſtræ Myſteria: idem *Hebræor*: 11. ait: *Fides eſt argumentum rerum non apparentium.* Quomodo autem non apparentium, ſi demonſtrativè ſciantur?

ARTICULUS II.

Reſolutio ejuſdem Quæſtionis ex Scholâ Lullianâ.

5. DAri neceſſe eſt demonſtrationes ſecundùm tres propoſitiones ſano Intellectui humano claras & evidentes de Myſteriis Orthodoxæ Fidei, etiam independenter à ſacris Paginis.

6. *Ratio* I. Si hoc neceſſe non foret, ergò eſſet poſſibile dari hominibus à Deo fortiora & nobiliora media ad amandas creaturas, amore ſcilicet creaturis competente, quàm ad amandam ſanctiſſimam Trinitem, Deum incarnatum &c. Nam notitia ſcientifica de amabilitate objecti fortiùs attrahit amorem, quàm obſcura ejus cognitio, ùti patet in amore Beatorum, quo in Deum feruntur, comparato cum amore Viatorum: ſed hoc eſt impoſſibile, quia Deus aliàs plùs amaret minoritatem medii cum fine, quàm majoritatem: hoc eſt, plùs amaret medium minùs conveniens cum fine nobiliſſimo, quàm magis conveniens: quod iterùm eſt impoſſibile; ergò neceſſe eſt dari ejuſmodi demonſtrationes: vide Illuminatum Doctorem

rem ipſum *Tomo* 4: *Magni Operis Moguntiæ impreſſi. Libro De Diſputatione Fidei & Intellectus*, ubi fuſè idipſum & ſolidiſſimè probat.

7. *Ratio* II. Ex ſententiâ Trium aliarum Scholarum Myſteria Orthodoxæ Fidei ſunt *evidenter* credibilia ex lumine naturali & proinde cognoſcibilia: ſed evidens etiam eſt ſanctiſſimam Trinitatem, Incarnationem Filii Dei &c. eſſe Myſteria Fidei Orthodoxæ: ergò evidens eſt hæc Myſteria eſſe evidenter credibilia & cognoſcibilia; & cùr non perinde demonſtrabilia? *confirmatur* I. ex contrariâ opinione ſequeretur, Logicam, Phyſicam & alias ſcientias quoad virtutem demonſtrativam eſſe nobiliores ſcientias, quàm Theologiam: quia omnes iſtæ habent demonſtrationes ſecundùm tres propoſitiones: non autem Theologia de Deo ejuſmodi afferre poſſet: ergò eſſet quoad intrinſecam virtutem demonſtrandi omnium imperfectiſſima ſcientia: & ſic Deus de objecto humani Intellectûs perfectiſſimo denegaret medium perfectiſſimum in viâ, concederet verò medium perfectiſſimum ad objecta ignobiliora: quod eſt abſurdum & impoſſibile: *confirmatur* II. Myſteria Fidei noſtræ debent credenti proponi ùt evidenter congrua ſive convenientia ſanæ rationi ac divinæ Sapientiæ: ergò hoc ipſo evidenter cognoſcuntur ſaltem ùt poſſibilia: deinde, cùm illud, quod eſt divinæ Sapientiæ conveniens, ſit ſummè conveniens: nihil enim Deo infinitè perfecto convenit, niſi ſummè perfectum: & cùm dari non poſſint in Deo duo modi contradictoriè oppoſiti utrimque ſummè perfecti v. g. Naturam Tri-unam eſſe convenientem lumini naturali & non eſſe convenientem: poſſe aſſumere Naturam creatam & non poſſe: ſequitur manifeſtè motiva credibilitatis evidenter cognita ùt congrua rationi & divinæ Sapientiæ, etiam eſſe neceſſaria & ſcientificè convenientia: Hoc ſæpè inculcat *ſanctus Anſelmus in Monol: Proſol: Libr. de Incarnatione Verbi & libr. cùr Deus homo*: ubi ſatis apertè noſtram ſtatuit ſententiam nixus verbo Dei: *Petri*: 3.

v. 15. *Eſtote parati ad ſatisfactionem ſemper omni poſcenti vos dare rationem de eâ, quæ in vobis eſt, ſpe:* notatum eſt ad latus & *Fide* conformiter interpretationi Syriacæ: ſentit etiam nobiſcum *S. Auguſtinus in* 15. *libr. de ſanctiſſimâ Trinitate.* Textus ejus citantur in Præfatione ad ſecundum Tomum magni operis Lulliani Moguntiæ impreſſi, & quidam hìc in ſequentibus hujus Tertiæ Partis.

8. *Dices* I. *Contra rationem* I. Motiva credibilitatis procedunt Fidem, ergò intelligere eſt propter fidem: conſequenter Fides eſt nobilius medium ad amorem perfectum, quàm evidens cognitio ac demonſtratio. ℞. I. *Diſtinguo antecedens:* ex amoris perfecti exigentiâ *Nego* ex exigentiâ Intellectûs noſtri, qui *rationabiliter* non credit niſi perſuaſus & *convictus* de objecti credendi exiſtentiâ *Concedo*: ℞. II. *diſtinguo antecedens aliter*: ita ut quieſcat in Fide *Nego*: ut habita Fide prudenter indaget in demonſtrationes ſemper perfectiores, ùti etiam Profeſſores facere aſſolent: *Concedo.* porrò ſic procedimus in perſuadendo ad Fidem. *primò* oportet crediturum eſſe animo indifferentem: num objectum Fidei, v. g. Incarnatio Filii Dei, poſſibile ſit, an impoſſibile: an detur nec ne. hoc pacto deponitur pertinacia intellectûs hactenùs aliis, ſed falſis motivis imbuti v. g. in Ethnico & Judæo: atque ſi hoc præſtet Judæus, jam cooperatur Gratiæ divinæ ad id excitanti & Fidem habet quaſi conditionatam ejuſmodi: ſi convictus fuero rationibus tuis, poſſibilem eſſe aut factam eſſe Incarnationem Dei, credam, & quidem propter altius motivum Fidei, quia Deus revelavit: *Secundò* audit, diſcit & convictus aſſumit propoſita motiva credibilitatis, quod non faceret, niſi antea jam acceptaſſet Gratiam excitantem, & Fidem elicuiſſet quaſi conditoinatam ordinariè præſuppoſitam ante perſuaſionem demonſtrativam juxta illud Jſaiæ: *niſi credideritis, non intelligetis: Tertiò* aſſentitur objecto Fidei ſibi demonſtrato abſolutè non tantùm ob motiva evidentia, ſed cum *ſummâ appretiatione*, quia divina Veritas il-

lud

lud revelavit, maximè cum per motiva credibilitatis agnoſcat adhùc infinitè plures eſſe in Deo Perfectiones, quas non videt, & tamen credit, ita ut Fides hæc ſupernaturalis ſit in altiore gradu, quàm ſcientia, & proinde maneat *ratio meriti.* Denique ut vivaciùs ad amandum tantum bonum excitetur, inquirit perfectiores ſemper demonſtrationes de eodem objecto credito.

9. *Dices* II. *contra eandem rationem:* ſæpiùs amat Deum intenſiùs ſimplex Ruſticus, quàm profundiſſimè doctus Theologus: ergò ſcientia de Deo Triuno & Myſteriis Fidei noſtræ non eſt aptius medium ad amandum Deum. ℞. *Diſtinguo antecedens:* cœteris paribus *Nego.* imparibus, ſi Theologus ſcientiâ ſuâ abutatur & ſe vitiis det *Concedo*: alioquin ingens ſolatium deeſſet Theologis Doctoribus; deinde etiam multi illiterati habuerunt altiſſimas de Deo Triuno demonſtrationes, uti noſter Beatus Doctor Illuminatus, & ſanctus Ignatius Fundator Societatis JESU, quibus ſcientia infuſa fuit medium eximium ad amorem Dei valdè intenſum.

10. *Dices* III. Hanc Doctrinam Lullianam præliminariter explicatam eſſe Scholis omnibus in Eccleſiâ orthodoxâ receptis & approbatis peregrinam & & paradoxam, adeóque contra libros Beati Lulli valere decreti Urbani VIII. verba ſequentia: *ante omnia videatur, utrum contineat errores contra Fidem vel bonos mores, vel Doctrinam aliquam novam vel peregrinam, atque à communi ſenſu Eccleſiæ & Conſuetudine alienam* &c. &c.

Contra eſt. I. Illud decretum agit de Canonizatione Sanctorum ſive de Hominibus, qui libros edidêre, in album Sanctorum ſolenni ritu authoritate Eccleſiæ referendis. Quæ materia inquirenda & diſcutienda non eſt noſtri laboris, ſed relinquimus eam ſummæ Sedi, ubi modò proceſſus, pro confirmatione Sententiæ in Judicio contradictorio ſuper immemorialitate & legalitate cultûs noſtri B. Doctoris latæ agitatur.

Contra eſt II. Inter omnes Scholas in Eccleſiâ orthodoxâ receptas & approbatas etiam eſt Schola Lulliana approbata à multis ſummis Pontificibus, Univerſitatibus, Ordinibus & Viris ſanctitate non minùs, quàm Doctrinâ florentiſſimis, ùti demonſtrat Præfatio hujus Libri. Floret etiam in Regno Catholico, ubi Inquiſitio hæreticæ pravitatis accerrimè, ùt par eſt, exercetur & viget. Nihil igitur contra Fidem & bonos mores continet: quod autem Doctrina hæc videatur peregrina, intelligi debet de illis, qui peregrini ſunt in ſanctis Patribus maximè antiquioribus, Richardo à Sancto Victore, Sanctis Anſelmo, Iſidoro, Cyrillo, Auguſtino & aliis quorum duos priores B. Doctor ipſe citat *Tom.* 2. *libr. Mirand: Demonſtr. cap.* 14. his verbis: *Item Anſelmus & Richardus à Sancto Victore & multi alii ſignificant in ſuis ſermonibus, quòd intellectus habeat poſſibilitatem intelligendi Articulos.* Igitùr non eſt hæc Doctrina contra mentem Doctorum omnium retrò ſæculorum, atque ideo temeraria; ut nonnulli, ſed malèvoli, longè, quàm oportet, acerbiùs garriunt. Porrò cùm in ore duorum aut trium Teſtium ſtet omne verbum, quædam loca ex S. Anſelmo & Auguſtino hic referemus.

11. S. Anſelmus, qui famam non ſolùm miraculorum & ſanctitatis aſſecutus, ſed etiam Doctrinæ, quam ad defenſionem Chriſtianæ Religionis, animarum profectum & omnium Theologorum, qui ſacras Literas Scholaſticà methodo tradiderunt, normam, cœlitùs hauſiſſe videtur, quod ex ejus omnibus Libris apparet, proùt teſtatur Sancta Mater noſtra Eccleſia in Feſto ipſius. Hic Doctor incomparabilis, decus & gloria Ordinis S. Benedicti in *Monol. cap.* 33. *editionis noviſſimæ* probat Sanctiſſimam Trinitatem diſtinctim per tres Perſonas: ac primùm probat productionem Filii, & proinde duas Perſonas verbis ſequentibus: „Nullâ ratione negari poteſt, cùm mens rationalis „ſe ipſam cogitando intelligit, imaginem ipſius naſ„ci in ſuâ cogitatione, imò ipſam cogitationem ſuî

eſſe

„ eſſe ſuam imaginem ad ejus ſimilitudinem tanquam „ ex ejus impreſſione formatam; quamcunque enim „ rem mens ſeu per corporis imaginationem, ſeu per „ rationem cupit veraciter cogitare, ejus utique ſimi- „ litudinem, quantum valet, in ipsâ cogitatione co- „ natur imprimere; quod, quantò veriùs facit, tan- „ tò rem ipſam veriùs cogitat &c. &c. habet igitùr „ mens rationalis, cùm ſe cogitando intelligit, ſecum „ imaginem ſuam ex ſe natam, id eſt, cogitationem „ ſuî ad ſuam ſimilitudinem quaſi ſuî impreſſione for- „ matam, quamvis ipſa ſe à ſuâ imagine non niſi ra- „ tione ſolâ ſeparare poſſit, quæ imago ejus Verbum „ ejus eſt. *dein pergit:* hoc utique modo quis neget „ ſummam Sapientiam, cùm ſe dicendo intelligit, „ gignere conſubſtántialem ſibi ſimilitudinem ſuam, „ id eſt, Verbum ſuum, quod Verbum, licet de re „ tam ſingulariter eminenti propriè aliquid ſatis con- „ venienter dici non poſſit, non tamen inconvenien- „ ter, ſicùt ſimilitudo, ita & Imago, & Figura & „ Character ejus dici poteſt.

12. Ulteriùs *cap.* 48. probat, quomodo Filius ſit Intelligentia Intelligentiæ, Scientia Scientiæ, Sapientia ſapientiæ, Memoria Mamoriæ &c. reſumendo eandem comparationem cum mente rationali: „ de *Memoriâ* verò quid ſentiendum eſt? an æſtimandus eſt Filius Intelligentia Memoriæ; ſive Memoria „ Patris aut Memoria Memoriæ? equidem cùm ſum- „ ma Sapientia ſua memor eſſe negari non poſſit, ni- „ hil competentius, quàm quod in Memoriâ Pater, ſicùt „ in Verbo Filius, intelligitur. Quoniam de Memo- „ riâ naſci Verbum videtur, quod clariùs in mente „ noſtrâ percipitur: quoniam namque mens humana „ non ſemper ſe cogitat, ſicùt ſuî ſemper meminit, „ liquet, cùm ſe cogitat, quia Verbum ejus naſcitur „ de memoriâ; unde apparet, quia, ſi ſemper ſe co- „ gitaret, ſemper Verbum ejus de memoriâ naſcere- „ tur: rem etenim cogitare, cujus memoriam habe- „ mus, hoc eſt mente eam dicere; Verbum verò rei „ eſt ipſa cogitatio ad ejus ſimilitudinem ex memoriâ

„formata: hinc itaque liquidò animadverti poteſt de „ſummâ Sapientiâ, quæ ſic ſemper ſe dicit, ſicùt ſem„per ſui memor eſt, quia de æternâ Memoriâ ejus „coæternum Verbum naſcitur; eſt igitùr Filius Me„moria Patris, & Memoria Memoriæ, id eſt, Memoria „memor Patris, qui eſt Memoria; ſicùt eſt ſapientia Pa„tris & Sapientia Sapientiæ, id eſt, ſapientia ſapiens „Patrem Sapientiam. Et Filius quidem Memoria „nata de Memoriâ, ſicút Sapientia nata de Sapientiâ. „Pater verò de nullo nata Memoria & Sapientia.

13. Deinde *cap.* 49. per totum probat tertiam in Trinitate Perſonam ex amore Sancti Spiritus. *In libro denique de Fide Trinitatis & Incarnatione Verbi cap.* 5. probat ex eo neceſſarium fuiſſe *ſecundæ Perſonæ* Incarnationem, quia hoc Deo fuit congruum. Juvat ipſa ejus verba referre: „cùr autem Deus magis „aſſumpſerit hominem in Unitatem Perſonæ Filii, „quàm in Unitatem alicujus aliarum Perſonarum; „quamvis in hac Epiſtola noſtrum hoc propoſitum „non fuerit; tamen, quoniam hujus rei mentio ſe „obtulit, aliquam reddendam rationem exiſtimo. „Nempe ſi Spiritus Sanctus incarnatus eſſet, ſicut „Filius eſt incarnatus, eſſet Spiritus Sanctus Filius: „unde quædam naſceretur dubietatis confuſio, cùm „de ſuo Filio loqueremur; uterque enim eſſet Deus „& Filius, quamvis alter Dei, alter Hominis: fieret „quoque quaſi quædam inæqualitas diverſarum Per„ſonarum ſecundum hoc, quod Filii eſſent, quæ „omninò æquales eſſe debent, cùm alter Filius ma„joris dignitate excelleret, alter minoris Parentis hu„militate ſubeſſet, quantò enim major eſt Natura „Dei, quàm Hominis, tantò dignius eſt eſſe Filium „Dei, quàm eſſe Filium Hominis. Si ergò Spiritus „Sanctus natus eſſet ex Virgine, cùm Filius Dei ha„beret excellentiorem nativitatem ſolam, quæ ex Deo „eſt, & Spiritus ſanctus minorem tantùm, quæ eſſet „ex Homine, alia Perſona eſſet major, & alia minor „ſecundum dignitatem nativitatis, quod non conve„nit. Quodſi Pater in Unitatem ſuæ Perſonæ Ho-

„mi-

„minem aſſumpſiſſet, eaſdem faceret in Deo plurali-„tas Filiorum inconvenientias. & adhùc etiam: nam „ſi eſſet Filius Virginis, duæ Perſonæ in Trinitate „nomen Nepotis aſſumerent; quia & Pater nepos eſ-„ſet parentum Virginis, & Filius ejus Virginis eſſet „nepos, cùm ipſe tamen nihil haberet ex Virgine. „*Quoniam ergò quamlibet parvum inconveniens in Deo* „*eſt impoſſibile*, *non debet alia Perſona Dei incarnari*, „*quàm Filius.* Illo enim incarnato nullum ſequitur „inconveniens. Quod enim Patre & Spiritu Sancto „minor dicitur Filius ſecundum Humanitatem; non „tamen illæ duæ Perſonæ ideo excellunt Filio: quia „eandem Majeſtatem, quâ majores ſunt Humanita-„te Filii, habet & Filius, quâ & ipſe præeſt cum illis Humanitati. Ecce, quod Scholæ Anti-Lullianæ di-cunt inconveniens negativè, hoc eſt non ita conve-niens ac aliud, hoc cum Lullianis aſſerit Sanctus Pa-ter eſſe in Deo impoſſibile, & opoſitum conveniens ſaltem ex hypotheſi Incarnationis eſſe Deo neceſſa-rium. adhùc clariùs loquitur *Libr.* 1. *cùr Deus Homo*: *cap.* 10. „Sicùt enim in Deo quamlibet parvum in-„conveniens ſequitur impoſſibilitas, ita quamlibet „parvam rationem, ſi majori non vincitur, comita-„tur neceſſitas.

14. Pro coronide excerpta quædam adnoto ex S. Auguſtino, quibus docet hoc præclariſſimum Ec-cleſiæ Lumen Myſteria Fidei noſtræ, ipſum adeò ſummæ Beatiſſimæ Trinitatis Myſterium non fide ſolùm cognoſci, ſed naturali etiam (præſuppoſitâ ta-men Fide, quod idem profundiſſimus Eccleſiæ Do-ctor continuò inculcat) demonſtrari poſſe. *Igitur Libr.* 1. *Retract. cap.* 14. ita habet: „Item dixi: duæ „enim Perſonæ in religione ſunt laudabiles; una eo-„rum, qui jam invenerunt, quos etiam beatiſſimos „judicare neceſſe eſt; alia eorum, qui ſtudioſiſſimè „& rectiſſimè inquirunt. Primi ergò jam ſunt in „ipsâ poſſeſſione, alteri in viâ, quâ tamen certiſſimè „pervenitur. in his verbis meis, ſi illi, qui jam in-„venerunt, quos in ipsâ poſſeſſione jam eſſe diximus,

„ſic

25

„aut verò ipſa Sapientia ſexu fœminea eſt, quia fœ-
„minini generis vocabulo & græcâ & latinâ linguâ
„enunciatur &c. &c. Quid aliud hic ſanctus Doctor demonſtrat, quàm ut homo conſiderans generationem in creaturâ convenientem cum defectu ratione corruptionis, aſcendendo ad conſiderationem generationis in Deo removeat defectum, & dicat: in Deo eſt generatio ſine corruptione: ergò eſt perfectio ſine defectu: quod autem hæc mens fuerit S. Auguſtini ex generatione creaturæ demonſtrare Generationem Verbi, evincitur inde *primò*:,quia Exemplum generationis in creaturâ ponit in Libro, ubi expreſsè agit de ſanctiſſimâ Triade, & jubet ab hoc & aliis hujuſmodi exemplis ad Deum aſcendere. *Secundò* patet ex illis verbis: *nec enim erubuit quidam uxorem ſibi eligere Sapientiam.* Hæc verba adducit iterùm in *Tractatu de Sanctiſſimâ Trinitate*: quis nunc eſt ille *quidam* ex mente ſancti Patris, niſi Pater æternus?

18. *Libr.* 15. *de Trinitate cap. 6. Lit. C. D.* demonſtrat Sanctiſſimam Triadem ex creaturâ rationali.
„An Trinitates iſtas ad ſenſus noſtros vel ad animos
„pertinentes videmus potiùs, quàm credimus,
„Deum verò eſſe Trinitatem credimus potiùs, quàm
„videmus? quod ſi ita eſt NB. *profectò aut inviſibi-*
„*lia ejus, per ea, quæ facta ſunt, nulla intellecta con-*
„*ſpicimus*: aut ſi illa conſpicimus, non in eis conſpi-
„cimus Trinitatem? . . . . . cùr itaque ibi non ag-
„noſcimus Trinitatem? an hæc Sapientia, quæ Deus
„dicitur, non ſe intelligit, non ſe diligit? quis hoc
„dixerit? . . . quæ ſi dici ſive credi ſtultum & im-
„pium eſt, ecce ergò *Trinitas Sapientia* ſcilicet *No-*
„*titia* ſuî & *Dilectio* ſuî: ſic enim & in homine inve-
„nimus Trinitatem, id eſt Mentem & Notitiam,
„quâ ſe novit, & Dilectionem, quâ ſe diligit. Hic S. Auguſtinus dicit non ſolùm credi, ſed ex rationali creaturâ *videri* Sanctiſſimam Triadem: an hoc non idem eſt, ac demonſtrari? ſi enim demonſtratur per ea, quæ facta ſunt, Deus, ex eodem capite, ſi S. Auguſtino credimus, demonſtratur ſanctiſſima Trinitas.

19. *Libr.*

19. *Libr.* 8. *de Trinitate cap.* 6. *fol.* 136. demonſtrat ſanctiſſimam Trinitatem per Æquiparantiam, ſivè ùt aliæ Scholæ loquuntur, *quaſi à priori*, aſſumendo pro medio demonſtrationis Dignitatem ſeu Attributum Amoris Ejus verba hæc ſunt: „at enim „charitatem video, & quantum poſſum, eam mente „conſpicio & credo Scripturæ dicenti: *quoniam Deus* „*Charitas eſt, & qui manet in Charitate, in Deo ma-* „*net. Joannis* 6. *verſu.* 16. ſed cum eam video, non „in eâ vides Trinitatem? Imò verò vides Trinita- „tem, ſi Charitatem vides, ſed comononebo, ſi „potero, ut videre te videas &c. &c. quid eſt autem „Dilectio vel Charitas, quam tantoperè divina Scrip- „tura laudat & prædicat niſi Amor boni? Amor au- „tem alicujus amantis eſt, & Amore aliquid amatur, „Ecce tria ſunt NB. *Amans* & quod *amatur*, & „*amor*. Quid eſt ergò amor, niſi quædam vita duo „aliqua copulans vel copulare appetens amantem ſci- „licet & quod amatur. Ecce quàm pulchrè S. Au- „guſtinus inſinuet terminos, quos vocant Barbaros, „*Amativum, Amabile* & *Amare*!

20. Qui plura ſimilia exempla deſiderat, conſulat *Libr.* 11. *de Trinitate*, ubi S. Doctor in exteriore Homine indagans veſtigium Trinitatis, incipit à ſenſu Viſûs, reſolvitque ipſum in ſuum veſtigium, viſibile & videre tam propinquum, quàm remotum, quæ ipſa ſunt Principia Artis Lullianæ in demonſtratione ſanctiſſimæ Triados. Quodſi poſt hæc omnia perſpecta quidam Illuminatum Doctorem noſtrum adhùc reſpuant, quia ſtylus ipſius non prorſùs convenit cum ſtylo S. Auguſtini, S. Anſelmi & aliorum Doctorum, licèt in doctrinâ conveniat, audiant iterùm *S. Auguſtinum libr.* 1. *de Trinitate cap.* 3. ſe ipſum excuſantem de hàc objectione: *utile eſt plures* (libros) *à pluribus fieri diverſo ſtylo, non diversâ Fide etiam de Quæſtionibus eiſdem, ut ad plurimos res ipſa perveniat, ad alios ſic, ad alios autem ſic &c.*

21. *Collige*: Inane effugium eſſe & tricas merè metaphyſicas, aſſerere per has ſanctorum Patrum ratio-

tiones demonſtrari Myſteria Fidei noſtræ ſolùm *negativè*, non verò *poſitivè*: quatenus per eas Gentilium aut Hæreticorum oppoſitæ rationes ſolummodò ſolvi poſſunt. Nam, per quid amabo, illa oppoſita Argumenta ſolvo? per quid id evinco? an non per rationes ſano rationis lumini congruas? *quidquid autem vel minimum congruum de Deo cognoſcitur, hoc ipſo Deo neceſſarium cenſeri debet; ait S. Anſelmus hìc uberiùs citatus.* Cujus ſententiam etiam hìc Parte I. & II. mòdò diſcuſſimus & ſolidè ſtabilivimus. Præterea S. Anſelmus in Proœmio ad Monolog. refert ſe requiſitum à Confratribus ſuis alteriùs Monaſterii, ut de Myſteriis Fidei ſcriberet ſine Authoritate S. Scripturæ, *quatenus*, loquitur ipſe, *Authoritate Scripturæ penitùs nihil perſuaderetur; ſed, quidquid per ſingulas inveſtigationes finis aſſereret, id ita eſſe plano ſtylo & vulgaribus argumentis, ſimplici diſputatione & NB. rationis neceſſitate breviter cogeret & Veritatis claritas patenter oſtenderet.* poſtea pergit: *voluerunt NB etiam, ut nec ſimplicibus peneque fatuis objectionibus obviare contemnerem.* Ecce petunt primò Fratres demonſtrationes poſitivas poſtea negativas, utrumque victus precibus præſtitit ſanctus Pater. Idem fecit *S. Auguſtinus Libri* 15. *de Trinitate.* Quodſi etiam hæc Doctrina Lulliana non eſſet adeò SS. Patrum Authoritate comprobata, immeritò tamen quidam malevoli eam temeritatis ream agunt. *B. Joannes Duns Scotus* etiam ſuo tempore novam invexit Doctrinam in orbem literatum orthodoxum, ſcripſit contra *B. Thomam Aquinatem* tum quoque novam Doctrinam producentem, & jam id temporis fama Sanctitatis celebratiſſimum, ut adeò Libri Scoti per tacitas muſſitationes, poſtea variis etiam ſcriptis impugnari & traduci cœperint: quod inaudiens B. Joannes Duns Scotus: *ſi*, modeſtè reponens ait, *Thomas Sanctus eſt, oret pro me, ſi doctus, diſputet mecum:* idem eodem jure: ſi viveret adhùc, dicere poſſet B. Raymundus Lullus. quàm parùm autem Scoti ſententias Eccleſia orthodoxa cenſurat, aut cenſuravit *temerarias*: æque parùm Doctrinam Lullianam. AR-

ARTICULUS III.

Solvuntur Argumenta à Scholis adverſariis contra Doctrinam Lullianam Articulo I. allata.

22. **A***D Rationem* I. *num.* 3. *Reſpondeo* I. *Diſtinguo probationem*: ſupernaturale excedit vires naturæ in producendo *Concedo.* in cognoſcendo *Nego.* Vis productiva in creatis eſt vel homogenea, & tunc eſt limitata ad producendum tantùm unam ſpeciem: vel eſt heterogenea: & tunc extendit ſe ad paucas Species, ne ſe nimiùm communicando penitus exhauriat, ſed Virtus cognoſcitiva habens pro objecto Verum in genere, ſub quo etiam continetur ſupernaturale, eſt objectivè infinita; cognoſcit naturaliter Deum infinitum, cur non ùt authorem ſupernaturalium. ℞. *2do. diſt. ſeq. ſi* darentur ejuſmodi demonſtrationes ſine præpoſita Fide art. 2. num. 4, explicata *Concedo.* hac præſuppoſitâ *Nego.*

23. *Ad Rationem* II. *num.* 4. patet manifeſtè ex contextu, Apoſtolum loqui de Scientiâ ſecundùm carnem & ſenſus: hanc jubet deponere, Si enim iſtam ſequimur, credemus in Sanctiſſimo Sacramento Altaris adeſſe panem. Huc pertinet illud Chriſti ad Thomam: *quia vidiſti Thoma, credidiſti*: Beati qui non vident & credunt. Eodem modo explicandus eſt alter textus *ad Hebr.* 11. *non apparentium ſenſibus Concedo.* Intellectui *Nego.* Vel: non apparentium illis, qui ſua culpa primam Gratiam & Fidem quaſi conditionatam neglexerunt *Concedo*: omnibus *Nego.* Circa Demonſtrationem Articulorum Fidei ſanè meretur legi, quod habet B. Doctor *Tom.* 2 *lib. Mirandarum Demonſtrationum fol.* 166. ſub initium. „Quemadmodum Deus permittit, quod homo poſſit peccare, ad hoc, ut non corrumpatur liberum Arbitrium, ita Deus permittit, quod demonſtrationes „Trinitatis & Incarnationis & aliorum Articulorum

„poſſint calumniari per aliquas falſas ſimilitudines „Deſtructibiles; & Deus hoc permittit ad hoc, ut „homo ſit liber ad credendum vel intelligendum Ar„ticulos; quia ſi Articuli eſſent ita demonſtrabiles, „quod non poſſent calumniari, non eſſet Fidès per „Articulos in homine, nec humanus Intellectus eſſet „ita exaltatus in intelligendo illos; quia eſſent ratio„nes groſſæ & paucæ ſubtilitatis; & quia ſunt mul„tùm difficiles intellectu, ideo ſupremum Bonum „voluit, quod homines, qui non habent ſubtilem „Intellectum, & qui ſunt occupati in rebus tempo„ralibus, poſſent uti Fide: & homines ſubtiles, & „qui relinquunt bona temporalia, poſſint intelligere „Articulos, & per illos poſſit illorum Intellectus ex„altari ad hoc, ut illos melius contemplentur, & ut „poſſint dirigere homines ſimplices, & inducere in„fideles in viam Veritatis.

24. *Collige primò.* Non doceri â Lulliſtis, omnia, etiam ſumma Chriſtianæ Fidei myſteria, *ſecluſa Dei revelatione* per propoſitiones lumine naturali claras & evidentes eſſe demonſtrabilia: ſed doctrina Lulliana contendit ſupponi præviam *fidem quaſi conditionalem* præſtitam myſteriis *jam revelatis*, ùt exhibet n. 8. ſupra. Deinde dum S. Paulus ait, *fidem eſſe ex auditu, auditum autem per Verbum Chriſti*, non intelligit certè eos, qui habuerunt Scientiam infuſam de Myſteriis Fidei. Sed vult Populum, cui prædicatur Evangelium, imo etiam ipſos Prædicatores habere *Fidem quaſi conditionalem* ex auditu. Quod verò in prædicatoribus neget dari Scientiam Myſteriorum demonſtrativam ex lumine naturali etiam indepedenter à ſacris Paginis: ſuppoſitâ tamen Fide conditionali præſtitâ rebus jam *revelatis*: ſolùm illi aſſerunt, qui ſanctos Patres præcipuè antiquiores non ſunt perſcrutati, ex quibus hîc aliquos citavimus *S. Anſelmum* nempe & *S. Auguſtinum.* Si Adverſariis argumenta, pro Myſteriis Fidei noſtræ demonſtrandis ex rebus naturalibus petita, quæ prælaudati Patres non ſecus ac B. Doctor Illuminatus, adducunt, videntur ratiunculæ quædam ſri-

frigidæ & jejunæ, ſeu tricæ potiùs; Diem illi eiſdem Ss. Patribus dicant: ſed vereor, ne in tenebris ambulantes domum redeant. Aliud eſt de perſuaſibilibus *humanæ Sapientiæ verbis*, per quæ Apoſtolus intelligit ſophiſmata Philoſophorum gentilium, uti interpretes paſſim S Apoſtolum explicant. Cæterùm nemo debet eſſe *curioſus* ſcrutator Myſteriorum Dei & Majeſtatis ejus, *ſoli* ſcilicet confiſus rationi naturali, uti gentiles fecerunt, aliàs opprimetur à Gloria.

25. *Collige* II. Ridendam eſſe atque explodendam illam objectionem, quod per Libertatem à *ſolâ* coactione eripiatur ſummum Deo Dominium, non ſecus ac ſi quis dicat: ſi Deus non potuiſſet pro priori rationis facere malum morale, dum modo fecit bonum imo optimum, non haberet ſummum Dominium. Quis non rideat? imo quis non juſtiſſimè indignetur ejuſmodi objectantium ſtrepitationibus? Adhibeant Adverſarii veram trutinam, & videbunt omnimodam hanc eſſe paritatem: ſicut in terminis repugnat Sanctitati divinæ malum morale, etiam quod pro priori rationis facere potuiſſet loco boni, quod nunc fecit, ita repugnat quoque in terminis *Immutabilitati Divinæ* potuiſſe pro priori rationis habere aliud Decretum, quam quod nunc habet. Nec eſt, cur quis cum horrore legat aut ſcribat, ſequi ex doctrinâ hâc Lullianâ, quod Deus ad intra æquè neceſſariò agat atque ad extra: & proinde æquè neceſſariò viliſſimum vermiculum, ac Dei Filium producat, nam ſi non æquè neceſſariò ageret ad intra, quàm ad extra, eſſet alius Deus agens ad intra quàm ad extra: cùm haberet alium modum ſibi identificatum agendi ad intra, quàm ad extra. Et hoc ſcribo cum *horrore*. Dicendum ergo, quod vermiculus quidem *ex ſe* non exigat neceſſariò produci cùm fuerit nihil: Immutabile tamen Dei Decretum exigat illum produci neceſſario. Sed Filius Dei *ex ſe* æque neceſſariò producitur ac Pater Eum producit.

26. Denique omnium maximè inhumanos ſe illi produnt, qui audent dicere, quod Deus per Libertatem

tatem â *ſolâ* coactione agat modo belluino. Sequitur enim (quod ipſum tremefacit calamum meum) Deum ad intra agere modo belluino, quia agit Liberè tantùm â coactione. Sequitur Beatos in cœlo agere modo belluino, quia agunt liberè tantùm â coactione. Prô pudor! quamvis ergo bruta aliquo modo neceſſario agant, agunt determinata â ſpeciebus vel extraneis, vel internis realiter diſtinctis, quibus ex imperfectione indigent. Deus Determinat ſe ex Libera Neceſſitate, & Neceſſaria Libertate, ſeu quod idem eſt determinatur ex ſummis & infinitis ſuiſmet perfectionibus, quæ identicè ſunt unus Deus. Examinent jam Adverſarii ad trutinam theologicam opiniones ſuas, quibus imbuti doctrinam Lullianam circa hanc materiam ùt ſuſpectam in fide proclamant: illuminatum item Doctorem ipſum vix â Patre Luminum dogmata ſua accepiſſe ſcribunt: & videant, quo ipſi ſpiritu agantur: videant, an ſuæ opiniones non inveniantur minus habentes, & utrum Momenta Doctrinæ Lullianæ graviſſima placitis ſuis non præponderent, itaque intellectum ad capiendam genuinam veritatem inclinent.

QUÆSTIO II.

Utrùm Deum exiſtere, demonſtrari poſſit per Æquiparantiam, vel, ut ajunt, â ſimultaneo ſive quaſi â priori?

1. STATUS QUÆSTIONIS *eſt, an realiter exiſtere Deum ſub conceptu aliquo objectivo cum Deo convertibili v. g. ſub conceptu Entis infinitè perfecti non tantùm per Creaturas, ſed etiam per Dignitates Deo eſſentiales, earumque neceſſariam connexionem ſano Intellectui, non cœcè pertinaci, evidenter demonſtrari poſſit.*

AR-

ARTICULUS I.

Reſolutiones hujus Quæſtionis ex Scholis Anti-Lullianis.

2. EJuſmodi demonſtrationes non ſunt veræ ſed ſolùm apparentes. Ita Doctores illarum Scholarum fermè omnes, paucis exceptis, quos inter non poſtremi ſunt Peretz Doctor Mirabilis appellatus, ejus diſcipulus Eſparza, Viva, Martinon, omnes eximii ex Soc. JEſu Theologi, quibus accedunt Ægidius: Abulenſis & S. Anſelmus L. *pro inſipiente*, & Recentiores Hiſpani.

3. *Ratio* I. Si hæc Argumenta â ſimultaneo ad demonſtrandam Dei exiſtentiam inventa eſſent verè demonſtrativa, eorum evidentia intellectum ritè diſpoſitum ſtatim raperet ad aſſenſum. Sed tot ingenioſiſſimi Doctores cum S. Thomâ unanimiter dicunt, ſe his Argumentis non convinci evidenter: ergo non ſunt verè demonſtrativa.

4. *Ratio* II. Demonſtratio debet eſſe per medium ab ipſa rei demonſtrandæ naturâ ſaltem formaliter diſtinctum, ut â notiori procedatur ad minùs notum: atqui in his Argumentationibus v. g. datur Ens perfectiſſimum & neceſſarium: ſed tale eſt Deus: ergo datur Deus. Nullum eſt medium ſaltem formaliter diſtinctum â Deo, ſed attentatur idem formaliter probari per idem: ergo non ſunt veræ demonſtrationes.

5. *Confirmatur*: inepta eſt demonſtratio, ſi quis probare vellet Hominem eſſe animal rationale, quia eſt Homo: ergo etiam hæc: exiſtit Deus, quia exiſtit Ens infinitè perfectum.

ARTICULUS II.

RESOLUTIO ejuſdem Quæſtionis ex principiis Lullianis.

6. EJuſmodi demonſtrationes ſunt nobiliſſimæ, veriſſimæ & non tantùm apparentes.

7. *Ratio.* Fiunt per medium nobiliſſimum, dignitates ſcil. divinas; & non tantùm per creaturas, quæ ſunt medium contingens: ergo imprimis ſunt nobiliſſimæ: quod autem veriſſimæ etiam ſint, & non ſolùm apparentes, probatur manifeſtè per Inductiones.

8. *Inductio* I. Ens infinitè & omni perfectum exiſtit realiter, quia exiſtentia realis eſt una & perfectionibus in prædicato *omniperfectus* jam contenta; ſed Deus ex conceptu ſuo objectivo adhuc implicito eſt tale Ens: ergo datur realiter.

2. *Inductio* II. Quando prædicatum de ſubjecto demonſtrandum jam conceptui eſſentiali hujus ſubjecti ineſt, completè perficitur demonſtratio, ſi evidenter probetur, inter hoc prædicatum & reliquas ſubjecti perfectiones non dari repugnantiam: ſed prædicatum realis exiſtentiæ jam ineſt ſubjecto demonſtrationis noſtræ ſcil. Enti omniperfecto, & hoc nullam habere cum cæteris ejuſdem ſubjecti Perfectionibus repugnantiam evidenter probatur: ergo prædicatum realis exiſtentiæ completè probatur de Ente omniperfecto. Minor hujus ſyllogiſmi quoad ſecundam partem oſtenditur; ſi vel unica infinita Perfectio involveret repugnantiam cum exiſtentia reali: ergo involveret infinita Perfectio imperfectionem, & quidem ſummam ſcil. chymæricam: hoc autem eſt impoſſibile: ergo & illud, unde hoc ſequitur. Oſtenditur etiam *ſpecialiter de Aſeitate*, quam Athei combinare nolunt cum exiſtentia reali. Summa ſufficientia ad exiſtendum, & pleniſſima independentia â causâ ex ipſis terminis eſt Perfectio, ſicuti indi-

indigentia & dependentia à causâ ex terminis eſt imperfectio: atqui non foret ex ipſis terminis perfectio, ſi involveret repugnantiam cum exiſtentia reali; tunc enim concordaret cum ſumma imperfectione ſcil. chymericâ: ergò *Aſeitas* non dicit repugnantiam cum exiſtentia reali.

10. *Dices primò. contra primam Inductionem.* Majorem illius quaſi-demonſtrationis non eſſe veram *abſolutè*, ſed tantùm *conditionatè* ita, ut ſenſus ſit: Ens omniperfectum exiſtit realiter, *ſi detur* tale ens *Concedo*: ſi tantùm mente fingatur *Nego*; adeoque eſſe demonſtrationem ſolùm apparentem.

11. *Contra eſt primò.* hic modus reſpondendi ſimilis eſt iſti ad ſequentem ſyllogiſmum: creatura independens ab alio tanquam ſuî cauſa eſt impoſſibilis: atqui productum accidentaliter & tamen ſibi ſufficientiſſimum ad exiſtendum eſt creatura independens ab alio tanquam ſuî causâ: ergo eſt impoſſibile. Si jam velis diſtinguere maj. ſi verè ſit independens *Concedo.* ſi tantum fingatur mente independens *Nego.* an non tibi ipſi diſplicet hic reſpondendi modus? ſicut ergo major hujus ſyllogiſmi eſt *abſolutè* vera, quia independentia ex ſuo conceptu objectivo repugnat creaturæ etiam ſecundùm ſuum conceptum objectivum conſideratæ, quod neceſsè non eſt, ut ſciam aliunde, utpote jam ex notione termini manifeſtum: ita ex oppoſito cùm exiſtentia realis vera contineatur in conceptu objectivo entis realiter omniperfecti, qualem concipimus eſſe Deum, neceſſe non eſt ut hanc concordiam entis realiter omniperfecti cum reali vera exiſtentia petam aliunde, ſed concedenda eſt ex ipsâ terminorum notione, & quidem abſolutè.

12. *Contra eſt ſecundò.* Ut illa diſtinctio cum ſenſu conditionali locum haberet: Atheus deberet prudenter poſſe ſaltem dubitare, an non *ens reale exiſtens reale*, & *ens ab alio* ſint termini ſynonimi: atqui hoc dubium non eſt prudens aut ſanæ mentis: quia ſi ens reale convenit cum indifferentia abalietatis ex notione termini imperfectâ, infinitè magis conve-

ARTICULUS III.

Solvuntur Argumenta á Scholis Adverſariis contra Scholam Lullianam artic. I. allata.

16. **A** *D Rationem* I. *num.* 3. *Reſpondeo* I. noſtra argumenta convicerunt authores initio articuli primi relatos ut communi in ſuis Scholis ſententiâ relictâ ad noſtram ultrò accederent. *Reſp.* II. *diſt. maj.* ſi velit eſſe indifferens ad veritatem utriuslibet ſententiæ, *Concedo.* ſi tenaciter ſuæ propriæ adhæreat, *Nego.* cæterum res ita habet. Deus Eccleſiæ ſuæ Doctoribus inſpiravit doctrinas, uni hanc, & hoc tempore pro ſuâ gloriâ facientem, uti eſt demonſtratio Dei â poſteriori: alteri aliam & alio tempore clariùs & efficaciùs divinum honorem promoventem, qualis noſtra eſt infuſa Doctori Illuminato B. Lullo, cujus ope innumeros Gentiles ad veram Fidem convertit & certe miraculum eſt manifeſtum; Virum aliàs Illiteratum multas Centurias Librorum eruditione plenorum conſcripſiſſe, qui in omnibus fermè foliis ſacris affectibus ad Deum, & ejuſmodi nervoſis de exiſtentia Dei demonſtrationibus illuſtrati ſunt. provoco hìc ad pœnam Libri.

17. *Ad Rationem* II. *n.* 4. Nego minorem Argumenti. Nam Dignitates divinæ poſſunt in noſtris cognitionibus diſtingui, non quaſi in Deo ſit fundamentum hujus diſtinctionis, ſed quia limitata & imperfecta noſtra cognitio non poteſt omnia ſimul cognoſcere: ſed neceſſario omnia cognoſcit ſub aliqua diſtinctione, quia propria attributa Intellectûs, ſub quorum ratione cognoſcit, non ſunt inter ſe identificata, ſed unita, & ideo æquè parùm intellectus humanus poteſt Identitatem, prout in ſe eſt, intelligere, ac æternitatem, Immenſitatem & cætera Attributa infinitatem inſinuantia; ùt aliàs probavimus: quam diu ergo Intellectus noſter non affirmat aliquid de

una divina Dignitate, quod negat de alterâ: nec contendit unam priùs *debere* concipi quam alteram (ad quod nullum planè habet fundamentum, uti Quæſtione ſequenti patebit) ſed unum concipit altero non conſiderato, non fingit, imò propter ideas, quas dignitates divinæ rebus creatis impreſſère, quarum unam præ aliâ ſæpe cognoſcimus clariùs, etiam una divina Dignitas evidentiùs apparet intellectui noſtro, quam alia, & idcirco poteſt ab una ſibi notiore demonſtrativè progredi ad aliam ſibi minùs notam.

18. *Ad confirmationem n.* 5. utique inepta eſt illa argumentatio, quia per minus notum probatur magis notum; contrarium fit in noſtris demonſtrationibus.

19. *Collige.* Intellectum noſtrum falli non poſſe, dum ſano lumine utitur, & manifeſtè evidenterque videt repugnantiam inter quædam prædicata v. g. inter creaturam, & improductum eſſe. Unde ſic demonſtrativè procedit: prædicata, inter quæ video manifeſtè ac evidenter repugnantiam in ipſis terminis, illa pro *ſtatu reali* non conveniunt: ſed inter creaturam & improductum eſſe manifeſtè & evidenter video repugnantiam: ergo &c. ſimiliter falli non poteſt; dum manifeſtè ac evidenter videt inter quædam prædicata concordantiam v. g. inter exiſtere & bonum, verum: unde ſic progreditur ad demonſtrationem: Prædicata, inter quæ manifeſtè ac evidenter video in ipſis terminis concordantiam, illa ſaltem poſſunt exiſtere & in ſtatu reali convenire: ſed inter ens, inter exiſtere & inter bonum, verum video evidenter dari concordantiam: ergo &c. Eodem modo intellectus ſanus falli non poteſt, dum manifeſtè & evidenter videt inter quædam prædicata eſſe neceſſariam connexionem exiſtentiæ realis actualis, & tunc ſic certò & clarè demonſtrat: Prædicata, inter quæ video manifeſtè & evidenter neceſſariam connexionem exiſtentiæ actualis realis, ea neceſſario in ſtatu reali actu exiſtunt: ſed inter ens & optimum, inter ens & omniperfectum, inter ens & neceſſarium video, ne-

neceſſariam in ipſis terminis connexionem exiſtentiæ realis actualis: ergo ens & optimum neceſſario exiſtunt actualiter realiter. Unde mirum videri debet, quod S. Thomas in hac materia uti & in multis aliis nobis contrarius ipſe tamen adducat demonſtrationem â ſimultaneo ejuſmodi tenoris: Ens neceſſarium ſi non datur, creaturæ poſſunt eſſe meræ chymæræ: nam quia contingentes ſunt, poſſunt non exiſtere, & tunc forent improducibiles, non enim datur ens, â quo poſſunt produci: ergo cum creaturæ non poſſint eſſe meræ chymæræ, ſequitur Deum dari. Ecce demonſtrationem non ab exiſtentia creaturæ, ſed â conceptu abjectivo entis neceſſarii & entis contingentis, quæ demonſtratio per conceptus difinitivos facta, eſt â ſimultaneo.

QUÆSTIO III.

Quid ſit Deus.

NOta I. Quod Deus ſecundùm eſſentiam phyſicam phyſicè ſumptam involvat omnes Perfectiones ſummas tam abſolutas, quàm relativas, admittunt omnes Catholici: nam hæc eſſentia conſiſtit in illis prædicatis, quæ Deo realiter identificantur, ſed Perfectiones tam abſolutæ quàm relativæ identificantur Deo realiter: ergo &c.

2. STATUS QUÆSTIONIS *eſt primò quid ſit Deus ſecundùm Eſſentiam metaphyſicam? ſive an & quæ prædicata tùm generica tùm differentialia debeam priùs de Deo cogitare, ex quibus reliqua per legitimam conſequentiam inferantur.*

Secundò quæritur. Quid ſit Deus ſecundum Eſſentiam phyſicam Theologicè conſideratam, quatenus tribus (ut ajunt) Perſonis communicatur.

ARTICULUS I.

Reſolutio Quæſtionis quoad primum ex Schola Thomiſtica.

3. ESſentia Dei metaphyſica conſiſtit in intellectione eſſentiali actuali.

4. *Ratio I.* Intellectio eſt genus proximum conveniens Deo & Creaturis rationabilibus: non tamen eſt ſtrictum, quia Deo & creaturæ nihil eſt per univocationem commune. Deinde intellectio eſſentialis actualis (quæ eſt Deo identificata conſequenter idem eſt ac intellectivum) prædicatum eſt in Deo perfectiſſimum: ſicut intellectivum in creaturis limitatum eſt reſpectu creaturarum perfectiſſimum prædicatum: ergo per illam Deus primariò ſecundùm eſſentiam metaphyſicam differt ab omni alio.

5. *Ratio* II. Intellectio eſſentialis & actualis eſt noſtro concipiendi modo ultimum complementum naturæ divinæ; ergo per illam conſtituitur differentialiter natura divina ſecundùm eſſentiam metaphyſicam.

6. *Reſolutio ejuſdem quæſtionis* ex communiore ſententiâ Scholæ ſcotiſticæ & Suariſticæ. Eſſentia Dei metaphyſica conſiſtit in ente â ſe.

7. *Ratio.* Quia Deus, & quidquid non eſt Deus infinitè differunt, hinc non conveniunt aptius niſi in genere remotiſſimo, quale eſt ens: & Aſeitas eſt noſtro concipiendi modo prima radix Perfectionum divinarum: Deus enim eſt ſapientiſſimus, omnipotens &c. &c. quia eſt illimitatus: ideo autem eſt illimitatus in ſuo eſſe, quia eſt â ſe, ſufficientiſſimus ad exiſtendum, & proinde independens ab omni cauſa limitante.

Confirmatur I. alia prædicata divina ſunt vel modus exiſtentiæ v. g. immenſitas, vel ſignificant actionem: quæ omnia concipiuntur ſequi exiſtentiam ipſam.

Con-

Confirmatur II. creatura ſecundùm eſſentiam metaphyſicam definitur: ens ab alio; ergo etiam Deus ens à ſe.

ARTICULUS II.

Reſolutiones ejuſdem Quæſtionis ex principiis Lullianis.

8. RESOLUTIO I. Non debet una divina Dignitas priùs alterâ concipi, ex quâ metaphyſicè fluant cæteræ tanquam meræ proprietates eſſentiâ poſteriores adeoque Eſſentia Dei metaphyſica non ſiſtit in una aliquâ ex Dignitatibus divinis potiùs, quam in alterâ.

9. *Ratio.* Dignitates divinæ ſunt eſſentialiter ſimul identicè: ùt patebit ex reſolutione ſequentium Quæſtionum, ergo non eſt ratio, cur intellectus noſter unam præ aliâ concipiat priùs: ſicut quia temporis partes ex naturâ ſuâ ſunt ſucceſſivæ, non eſt ratio, cur intellectus eas concipiat ſimul, & quoties hoc facit, toties fingit: multò igitur magìs fingeret, ſi divinas Dignitates eſſentialiter ſimul ab æterno identicè exiſtentes ita conciperet, ut uni tribuat jus potiùs exiſtendi priùs in mente noſtrâ, quam alteri.

10. *Dices contra hanc rationem.* Fundamentum concipiendi unum Prædicatum divinum priùs, quàm alterum, non eſt in Deo, ſed in intellectu noſtro, qui non poteſt omnia ſimul concipere ex limitata ſuâ virtute, ſicuti non fingit, ſed cum fundamento conſiderat divinam Dignitatem alterâ non conſideratâ, quamvis realiter in Deo ſint identicè idem. *Contra eſt* Veritas cognitionis non deſumitur ab imperfectione intellectûs noſtri, ſed à conformitate cum re ipſa, uti eſt realiter; aliàs, cum intellectûs noſtri imbecillitas ſatis capere non poſſit Æternitatem Dei, etiam non fingeret tunc, ſi aliquid ſucceſſivum in ejus duratione conciperet. Quod autem conſideremus unam divi-

divinam Dignitatem, aliâ non conſiderata, & hoc ſine Fictione: inde eſt, quia habemus apprehenſionem ſimplicem de unâ tali Dignitate, nihil ei affingendo: econtra Adverſarii affingunt Aſeitati hoc, quod *debeat* prœ aliis prædicatis primò concipi, & reliqua Prædicata negant eſſe eſſentiam, affirmentque eſſe meras proprietates, Quòd item unam Dei Dignitatem clariùs cognoſcamus quam alteram etiam ſine fictione, ex eo probatur, quia major cognitionis claritas non deſumitur ab objecto, ùt eſt in ſe, ſed ùt nobis apparet.

11. RESOLUTIO II. Eſſentia Dei metaphyſica conſiſtit in ente omniperfecto. *Ratio.* Eſſentia metaphyſica debet poni in illis prædicatis, quæ breviſſimè & aptiſſimè explicant totam rei eſſentiam phyſicam, ſi enim aliquid eſſentiæ phyſicæ omitterent, non eſſet conceptus perfectè quidditativus rei. Patet etiam ab inductione, dum homo per eſſentiam metaphyſicam definitur, afferuntur prædicata animalis & rationalis correſpondentia partibus phyſicis omnibus, ſivè diſtributivè ſumptis, ut docet Schola Lulliana, ſive collectivè acceptis, ut contendit Schola Suareſiana; ſed conceptus Entis omniperfecti explicat totam eſſentiam Dei phyſicam: ergò in illo conſiſtit Eſſentia Dei metaphyſica.

12. *Dices contra hanc Rationem. S. Joannes Damaſcenus lib.* 1. *orthod. fid. cap.* 4. circa finem ait: „ ſi „ bonum, ſi juſtum, ſi ſapientem dixeris, non Naturam dicis dei, ſed ea, quæ circa Naturam: ergo „ non omnis Dei Dignitas pertinet ad Naturam & Eſſentiam Dei metaphyſicam.“ *Contra eſt*, S. Pater inſinuat illa vocabula Juſtus, ſapiens &c. non eſſe à Grammaticis ſatìs aptè inventa, ut ſignificent Dignitates & Naturam Dei, ſicuti tamen ſunt Æternitas, Immenſitas, Omnipotentia &c. nam creaturæ rationales etiam dicuntur ſapientes, juſtæ &c non tamen immenſæ, omnipotentes &c. unde ſi Naturam Dei & Dignitatem divinam inſinuare cupio, debeo dicere: Omniſapiens, Omnijuſtus &c. ſed in his nihil agitur

agitur contra Doctrinam Lullianam, juxta quam quævis Dignitas Dei eſt eſſentiale conſtitutivum, nec ulla potius jus habet, ut priùs alterâ concipiatur.

13. RESOLUTIO III. Deus ſecundùm Eſſentiam phyſicam Theologicè ſpectatam non eſt Eſſentia communis tribus Perſonis diſtributivè ſumptis, per quam Pater eſt Deus ſimpliciter & abſolutè, & ita Filius eſt Deus, & ita Spiritus S. eſt Deus ſimpliciter.

14. *Ratio* I. Sic in Patre realiter eſſet Perfectio ſimpliciter ſimplex nempe Natura communis identicè cum Perfectione tantùm ſimplici ſcil. Perſonalitate: adeoque in Patre realiter eſſet identificatum magis principale, quod eſt Natura communis, & minus principale, quod eſt Perſonalitas, & ſic quia magis principale eſt infinitum, & etiam infinitum eſt minùs principale, videlicet *eſſe* Patris, Pater foret realiter ſimul infinitè magis & infinitè minus principalis ſedùm idem, quod involvit manifeſtam contradictionem.

15. *Ratio* II. Pater Filio communicaret Naturam communem non verò eam produceret in eâ ſententiâ; ergo non retineret illam, proinde Pater non maneret Deus. Quomodo enim concipi poteſt, & quomodo gentili evidenter credibile facies, quod Pater Filio communicet eandem communem Naturam *eam non producendo* & tamen in communicando non perdat.

16. *Confirmatur* I. Si communicatur Filio à Patre Natura communis & non *eſſe* Patris: ergo idem communicatur & non communicatur: cum *eſſe* Patris & Natura communis ſint realiter idem. hoc autem eſt contra lumen ſanæ rationis, & certè non poteſt eſſe motivum credibilitatis evidens ad convertendum Gentilem.

17. *Confirm.* II. eſt inconceptibile, quomodo Pater ſit Deus ſecundùm ſe, Filius ſecundùm ſe Deus, & Spiritus S. ſit Deus ſecundùm ſe; nec tamen ſint tres Dii, ſicut (dicet Ethnicus) quia Pater eſt Perſona

ſona ſecundum ſe, & Filius Perſona, ſimiliter & ſpiritus S. ideò ſunt tres Perſonæ, ita etiam diſcurret Gentilis de tribus Diis. quod ergo motivum credibilitatis *ſpeciale* afferes Gentili evidens? reſpondebis eſſe Myſterium incomprehenſibile, quod quidem verum eſt, ſed non inconceptibile, non indemonſtrabile: aliàs Deus dediſſet fortiora media ad minorem finem cognoſcendi creaturas, & minora ad finem infinitè majorem cognoſcendi Deum Tri-unum. vade ad quæſt. 1.

18. RESOLUTIO IV. Deus ſecundúm eſſentiam phyſicam Theologicè conſideratam eſt Pater omniperfectus perfectiſſimè generans, & Filius omniperfectus perfectiſſimè genitus, & Spiritus S. omniperfectus perfectiſſimè ſpiratus. ita *Beatus Lullus Tom. 4. in quæſtionibus per Artem demonſtrativam ſolubilibus fol. 6. quæſt. 4. num. 5. & tota hac & ſequente quæſt.*

19. *Ratio* I. Deus ſecundùm Eſſentiam phyſicam Theologicè conſideratam eſt Tri-unus, atqui Pater & Filius & Spiritus S. &c. &c. eſt Deus Tri-unus eodem enim modo Deus eſt unus, quo Trinus, & Trinus quo Unus: unde Eccleſia in terminatione Hymni ad matutinum feſti Corporis Chriſti canit: *Te Trina Deitas Unaque poſcimus*, & *S. Bern conſid. libr. 5. cap. 7. ad Eugenium*: Deus Trinitas eſt, Deus tria ſingula Perſonarum. fundantur hæc in *Ep. 1. Jo. cap. 5. Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum & Spiritus S. & hi tres unum ſunt*; & ideo ſacerdos in miſſa canit: *& in Spiritum Sanctum Dominum ac vivificantem: qui cum Patre & Filio* NB. *ſimul adoratur & conglorificatur.* ut inſinuet unam Perſonam ſine alterâ non eſſe Deum adorabilem.

20. *Ratio* II. Pater & Filius & Spiritus S. ſinguli omniperfecti, & omniperfectè ad ſe invicem relati ſunt Eſſentia divina, & quia Theologia eam conſiderat ut Trinam, ſunt Eſſentia Dei Theologicè conſiderata. *probo antecedens quo ad.* 1. *partem.* ſunt Deitas & habent dignitatem convertibilem ſcil. omniperfectionem: ergo ſunt Eſſentia divina: quod ſint

Dei-

Deitas, patet inde: quia ſunt Deus: atqui Deitas & Deus realiter ſunt infinitè magis idem, quàm humanitas & homo in ſententia ſcholarum nobis adverſariarum: ergo &c. diſtinctio minoris, quam excogitàrunt Authores contrariarum ſcholarum, evertetur in Quæſtionibus proximè ſequentibus, & jam refutata eſt *num.* 15. hujus Quæſtionis.

21. *Dices I. contra Rationem I.*, ſi Deitas eſt trina, etiam in Deo ſunt tres Deitates, quod videtur contra Fidem. *Reſp.* 1. magis videtur contra Fidem eſſe, quòd præter tres relationes divinas detur quartum, quod ſit eſſentia Dei communis; cum Eccleſia canat *Te Trina Deitas*, eodem modo quo in Lytaniis, *Sancta Trinitas Unus Deus. Reſpon. II. Diſting. ſequel.* tres Deitates abſolutè & ſimpliciter tales, *Nego.* Cum addito tres Deitates relativas: *Concedo.* Pater eſt Deus deificativus, Filius eſt Deus deificabilis, Spiritus S. eſt Deus deificare, ſive quod idem eſt, Pater eſt Deus generans, Filius eſt Deus generatus, & Spiritus S. eſt Deus ſpiratus, & hi tres *ſimul* ſunt unus Deus & una Deitas ſimpliciter & abſolutè, nec poſſunt referri ad aliquod quartum divinum à ſe diſtinctum; ſi jam petat rationem naturalem Gentilis, cur non ſint tres Dii, cùm tamen Pater & Filius & Spiritus S. ſint tres, & quivis ſit Deus; manifeſtè eum convincam, dicendo: tres Perſonas, ſed non quamlibet earum abſolutè & ſine aliâ eſſe Deum, ſicuti tres ſimul, ſunt unum Trinum: Deitas enim eſt eſſentialiter Trinitas, cujus demonſtrationem afferemus infrà de Ss. Triade.

22. *Dices II.* Contra eandem rationem. In Symbolo S. Athanaſii dicitur: Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus S. ergo quivis eorum ſingillatim eſt Deus. *Reſpondeo I. retorq.* Ergo Pater ſeorſim ſine Filio eſt Pater, cum Pater ſit identicè Deus. *Reſp.* 2. S. Athanaſius non ſumit ſenſum diviſum, & ſi hunc aſſumit, intelligit certè, quòd Pater ſit Deus deificativus vel generativus, Filius ſit Deus deificabilis & Spiritûs S. Deus deificare, & ſic ceſſant omnes

contradictiones, quæ ſequuntur ex contrariis ſententiis.

23. *Dices III. contra eandem rationem* : Eccleſia docet in Perſonis divinis Proprietatem, & in Eſſentia Unitatem eſſe adorandam : ergo Unitas non pertinet ad Perſonas, ſed eſt quid ſingulis Perſonis commune; *Reſp. diſting. antecedens*: Unitatem unificativam, unificabilem & unificare, *Concedo*; unam ſine aliâ *Nego* *Reſp.* 2. Eccleſia hìc intelligit Eſſentiam divinam ſimpliciter prout eſt Pater, & Filius, & Spiritus S. *ſimul.* Eſſentia autem cum addito *propria* Patri & Filio & Spiritui S. eſt Trina : quævis enim Perſona in ratione Perſonæ, cùm habeat *eſſe*, etiam habeat Eſſentiam neceſſe eſt, per quam denominatur *eſſe* : cúm eſſentia ſit forma hujus concreti *eſſe*. Atqui non habet eſſe commune : ergo habet *eſſe* relativum & Perſonale : & ſic, cùm ſint tres Perſonæ in Deo, ſunt etiam tria *eſſe* & proinde tres Eſſentiæ perſonales. Hanc ſententiam Lullianam expreſsè docent *S. Auguſt. in libris contrà Maximinum. S. Anſelmus &c.* ex quo poſtremo duo loca citare ſufficiat : *in Monol. cap.* 78. ſic ait : *ecce patet omni homini expedire, ut credat in quandam ineffabilem Trinam Unitatem, & unam Trinitatem.* & in *lib. de Proceſſ. S. Spiritûs* declarat eſſe *Deum de Deo*, idem eſſe, ac eſſe Eſſentiam de Eſſentia his verbis: *quapropter cum credimus Spiritum S. de Patre procedere, quoniam Deus de Deo, id eſt Eſſentia Spiritûs S. de Eſſentia Patris.* Eadem ſolutio eſt, ſi opponant definitionem Eccleſiæ : quod Eſſentia non generet, nec generetur ; id enim intelligit de Eſſentia *ſimpliciter*, quæ utique non generat: aliàs darentur duæ Trinitates, non de Eſſentia cum addito *Perſonali & Relativa.* Notandum hìc ſemel pro ſemper, quod Bonitas bonificativa, Poteſtas poteſtativa, Eſſentia eſſentiativa, unificativa &c. nil aliud ſignificent, quàm Patrem generantem : Unitas verò unificabilis ſit Filius generatus : & unitas unificare &c. ſit Spiritus S. ſpiratus : aliàs ſic efferuntur : Deus deificativus, Deus deificabilis, & Deus deificare.

ARTI-

ARTICULUS III.

Solvuntur Argumenta à Scholis Adverſariis contra principia Lulliana artic. 1. *allata.*

25 AD *Rationem I. ex Schola Thomiſtica.* Non datur in Deo prædicatum unum altero perfectius, aut prius, uti demonſtratum eſt Artic. 2.

26. *Ad Rationem II.* Idem dicendum, unum Prædicatum divinum non complet alterum, ſed ſunt ſibi in omnibus æqualia. Vade iterum ad Artic. 2.

27. *Ad Rationem ex Schola Suariſtica.* Nihil datur Deo & creaturæ univocum: quia nullum habetur fundamentum reale ſive in prædicatis divinis, ſive in actibus comparativè ad noſtra prædicata & actus: quia eſt realis inter illa & infinita diverſitas. *Secundò*, æque ex Omni-perfecta potentia aut ſcientia deduco reliquas dignitates Dei, quàm ex Aſeitate, nec ulla eſt alterâ prius concipienda. ùt probatur Artic. 2. *Tertiò*, in creaturis, ubi Actus & omnia Prædicata eſſentialiter realiter diſtinguuntur, verum eſt *exiſtere* priùs debere concipi, quàm operari, non in Deo, in quo eſt ſumma Identitas. *Ad Confirmationem* 1. idem reſpondetur: quod autem eſſentialia in creaturis non ſint identificata, breviſſimè demonſtratur: quia Unitas in *lineâ genericâ Unitatis* præcisè ſumma, eſt infinita; atqui identitas in *lineâ Unitatis genericâ* præcisè, eſt ſumma unitas cum nihil ſit excogitabile magìs eſſe unum, quàm idem eſſe; ergo, ſicut ſumma Poteſtas, Bonitas &c. in ſua quâvis linea generica involvunt infinitudinem, independentiam, Æternitatem, ita etiam ſumma Unitas, qualis eſt Identitas: infinita autem Unitas, non datur in creaturis: ergo nec Identitas Prædicatorum eſſentialium.

28. *Ad Confirmationem* 2. In creaturis, cum quælibet prædicata eſſentialia diſtinguantur realiter, cum

36

fundamento in re, & ſine fictione unum prædicatum concipio altero priùs, in creaturis autem ideo primum eſt Abalietas, quia tale *eſſe* ſcilicet creaturæ præcedit omnia alia prædicata creaturæ quoad actiones convenientia.

QUÆSTIO IV.

Quomodo eſſentia Dei ab attributis & Perſonalitatibus, & quomodo attributa inter ſe diſtinguantur?

1. STATUS QUÆSTIONIS *eſt*, cum Deus concipiatur Ens omniperfectum: an tot infinitæ Perfectiones admittant aliquam diſtinctionem ante conſiderationem intellectûs noſtri, an tota illarum diſtinctio fiat per noſtras cognitiones.

ARTICULUS I.

§. I.

Reſolutio communis omnium Scholarum Catholicarum.

2. RESOLUTIO I. Eſſentia Dei ab attributis divinis non diſtinguitur realiter ſtrictè.

3. *Ratio I.* quando Prædicata divina ſimpliciter affirmantur ferè de Dei eſſentia in abſtracto, non diſtinguuntur ab illâ ſtrictè realiter, ideo de creaturis malè dico *ſimpliciter*, homo eſt Anima, licet bene dicam homo ſecundùm unam partem eſt Anima, ſed prædicata divina ſimpliciter in recto affirmantur verè de Dei Eſſentia in abſtracto v. g. *Joan.* 14. *ego ſum via veritas & vita.* 1. *Cor.* 1. *prædicamus Dei Virtutem*

&

& Sapientiam. ergo: hinc in Concil. Rhemenſi anno 1148. *damnatæ ſunt propoſitiones Gilberti Porretani Pictavienſis Epiſcopi, & definitum eſt Artic.* 1. *Symboli.* Deum eſſe ſeipſo magnum ſapientem, non autem per Magnitudinem aut Sapientiam tanquam formas realiter diſtinctas, uti errabat Gilbertus, & Gregorius Palamas Monachus Græcus, poſtea Epiſcopus Theſſal. ſub Andronico Juniore, qui addit illas energias, uti vocabat dignitates Dei, non eſſe aliquid creatum, tamen etiam non planè divinum, ſed eſſe entitates medias inter Deum & creaturam, quæ creaturis in ſui productione communicantur.

4. *Ratio II.* Demonſtrativa & evidens per totum. Si dignitates Dei realiter diſtinguuntur â divinâ Eſſentia, ſequitur divinam Eſſentiam in ſe ipſa eſſe vacuam Sapientia, inanem Juſtitia, ſterilem poteſtate & ſic carere his Perfectionibus, adeoque eſſe divinam, ùt ſupponitur, & non eſſe divinam quia in ſe eſt ſummè deficiens, quæ important manifeſtam contradictionem. *Confirmatur.* Illæ energiæ realiter diſtinctæ eſſent accidentia, cùm Eſſentiæ divinæ in ſe completæ ſupervenirent: ergo abeſſe poſſent à Deo, & Deus tamen manere perfectus in Eſſentia; & ſic eſſet perfectus Deus in Eſſentia, quin ſit potens & ſapiens &c. &c. quod eſt impoſſibile. Hac ratione etiam probatur: non poſſe diſtingui divinas dignitates à ſuis actibus. *Vide Doct. Illuminat. Tom.* 4. *in Quæſtionibus per Artem demonſtrativam ſolubilibus quæſt.* 4. *&* 5.

5. Eodem fundamento evertitur diſtinctio realis dignitatum Dei inter ſe ipſas, & inter actus illarum; nam Omnipotentia Dei eſſet infinitè limitata ab Immenſitate Dei à ſe realiter adæquatè diſtinctâ, ita ut omnipotentia realiter nihil haberet Immenſitatis, & ſic Deus ageret per omnipotentiam infinitè limitatam, quod eſt impoſſibile. *Confirmatur.* Dignitates Dei ſunt realiter idem quid cum Dei Eſſentia, ut probatum eſt, ergo etiam inter ſe.

6. Dices, *S. Baſil. lib.* 1. *contra Eunomium ait: ridiculum eſt dicere, creandi facultatem ſubſtantiam eſſe:*

ergo hæc prædicata diſtinguuntur realiter. *Contra eſt.* Agit contra Eunomium, qui omnem étiam rationis noſtræ diſtinctionem excludebat in dignitatibus divinis: adeoquè oſtendit huic hæretico, intellectum noſtrum non eſſe comprehenſivum, ſed cognoſcere unam dignitatem Dei, *alteram* præcisè non conſiderando.

7. RESOLUTIO II. *Communis omnibus Doctoribus Cathol.* Eſſentia divina non diſtinguitur realiter â tribus Perſonalitatibus ſimul ſumptis.

8. *Ratio eſt.* Tres Perſonæ ſimul ſumptæ in hoc erroneo ſyſtemate non haberent identificatam Omnipotentiam, nec naturam omniperfectam: & divina Eſſentia non eſſet per ſe ſubſiſtens in exiſtendo: ergo utrobique eſſet defectus: & ſic non eſſet Deus, quod eſt impoſſibile.

§. II.

Reſolutiones ad eandem Quæſtionem ex ſcholis Lullianæ Doctrinæ adverſantibus.

9. RESOLUTIO I. *ex Schola Thomiſtica.* Eſſentia Dei ab attributis & Perſonalitatibus divinis, uti & Attributa Dei inter ſe diſtinguuntur realiter, non quidem actualiter, ſed virtualiter. Hoc eſt; quia Eſſentia cum Attributis realiter actu identificatis eſt tam fœcunda, ut æquivaleat rebus pluribus, ideo conveniunt Eſſentiæ & Attributis Dei Prædicata realia contradictoria v. g. Miſericordia Dei realiter virtualiter non eſt Juſtitia, ſive Miſericordia miſeretur, & realiter virtualiter non miſeretur Juſtititia &c. &c.

10. *Ratio* I. Si Miſericordia Dei realiter actu diſtingueretur à divina juſtitia convenirent illis verè Prædicata illa contradictoria realia; ergo etiam verè conveniunt ideò, quia divina Miſericordia realiter actu eadem cum Juſtitia æquivalet illis, quaſi eſſent realiter diſtinctæ dignitates.

11. *Ratio* II. Quia ſic ſalvantur prædicata contradictoria realia, de duobus virtualiter diſtinctis, quæ aliàs realiter eſſent omni modo idem. v. g. Pater generat, Eſſentia Patris non generat: Natura divina à Patre communicatur Filio, Paternitas non communicatur.

12. RESOLUTIO II. *ex Schola Scot.* Eſſentia divina à dignitatibus divinis & Perſonalitatibus, uti & Attributa divina inter ſe diſtinguuntur diſtinctione mediâ inter diſtinctionem ſtrictè realem, & diſtinctionem rationis: hoc eſt, ſunt quidem realiter quid idem, ſunt tamen etiam ante operam mentis diverſæ formalitates, conceptibilitates, & definibilitates.

13. *Ratio* I. Per cognitiones noſtras fiunt diverſi & diſtincti conceptus & diſtinctæ definitiones de dignitatibus divinis: ergo ante intellectum jam dabantur diſtinctæ actu conceptibilitates & definibilitates: ſicut bene concludo: datur per intellectum una definitio, ergo ante intellectum dabatur unum actu definibile: pariter igitur ſic bene concludo: dantur per intellectum plures actu diſtinctæ definitiones de divinis dignitatibus: ergo ante intellectum dabantur actu plures diſtinctæ definibilitates, ſed non diſtinctæ per diſtinctionem ſtrictè realem, quod eſt contra fidem, proinde per diſtinctionem mediam ex natura rei.

14. *Ratio* II. Per hanc diſtinctionem evitatur, quòd Prædicata contradictoria realia num. 10. hujus quæſt. allata, & alia plura non verificentur de re realiter omninò una ſimplici & eâdem.

ARTICULUS II.

Reſolutio ad eandem Quæſtionem ex Schola Lulliana.

15. RESOLUTIO I. *Dignitates divinæ non diſtinguuntur realiter diſtinctione Thomiſticâ.*

16. *Ratio eſt*, non datur in Deo æquivalentia, ut verè pro ſtatu reali poſſim affirmare : Eſſentia divina eſt inanis Omnipotentiâ, vacua omniſcientiâ : item Omnipotentia divina eſt infinitè limitata per Omniſcientiam realiter : atqui hoc ſequeretur ex diſtinctione Thomiſtica: quia hæc propter æquivalentiam præſtat, ut pro ſtatu reali verè dicam : *Eſſentia divina non eſt Omnipotentia*: *Omnipotentia divina non eſt omniſcientia*: quid autem aliud aut minus eſt, dicere poſſe verè pro ſtatu reali : *Eſſentia Dei non eſt omnipotentia, ſive Eſſentia Dei propter illam æquivalentiam nihil habet omnipotentiæ*, quam affirmare : *Eſſentia Dei eſt vacua omnipotentia*, vel an non ſunt ſenſus ſimiles : *Omnipotentia Dei non eſt propter prædictam æquivalentiam omniſcia*, & iſte: *Omnipotentia Dei eſt per omniſcientiam infinitè limitata;* quia, cùm verum ſit pro ſtatu reali ob eandem æquivalentiam : *Omnipotentia Dei non eſt realiter omniſcientia, omnipotentia nihil habet ſcientiæ realiter :* ergo quoad dignitatem omniſcientia eſt infinite limitata; certè ab hæreticis, qui erroneè docuerunt diſtinctionem actualem ſtrictè realem, retorqueri potuiſſent omnia argumenta Thomiſtica ad ſalvanda prædicata contradictoria de ente realiter actu ſummè uno & ſimplici inventa : multò minùs erunt motivum credibilitatis evidens ad convincendum Gentilem aut Atheum, qui propter illa prædicata contradictoria adhuc alio ſcrupulo uritur.

17. *Dices contra hanc Rationem* : ex diſtinctione rationis non ſequitur Eſſentiam divinam eſſe vacuam omnipotentiâ, omnipotentiam infinitè limitari ab omniſcientiâ: ergo nec ex diſtinctione reali virtuali Thomiſtica. *Contra eſt*. Quando conſideratur per diſtinctionem rationis una divina dignitas aliâ non conſideratâ, nihil affirmatur pro *ſtatu reali*, quod non ſimul affirmetur de alterâ verè, ſed diſtinctio eſt in noſtris cogitationibus in repræſentando limitatis : contrarium eſt in diſtinctione Thomiſtarum.

18. RESOLUTIO II. *Dignitates Dei non diſtinguuntur ante intellectum diſtinctione media Scotiſtarum.*

19.

19. *Ratio* I. Si ita ; ergo Eſſentia divina, quæ ante intellectum formaliter non foret omnipotentia, formaliter eſſet vacua omnipotentiâ, & ſic eſſet cum infinito defectu, quod implicat. Item Eſſentia divina ante intellectum formaliter non eſſet Paternitas : ergo formaliter eſſet incapax ad ſubſiſtendum, formaliter non eſſet generativa, nec ſpirativa : ergo formaliter non poſſet agere, & foret formaliter otioſa, quæ omnia ſunt impoſſibilia. *Vide ſuprà num.* 15. Vix enim aliquid plus facit hæc diſtinctio, quàm diſtinctio virtualis: & licet ſit excogitata ad extricandas aliquas difficultates, & ſalvandas quaſdam contradictiones, aliis æquè Deo impoſſibilibus ſe involvit.

20. *Confirmatur. Hæc diſtinctio* excludit ſaltem ſummam, quæ excogitari poteſt, Unitatem & ſimplicitatem inter dignitates Dei : Lulliani enim docent, nullam planè inter eas dari diſtinctionem ante intellectum : ſicut ergo id non convenit Deo, quod excludit ſummam Bonitatem, quæ excogitari poteſt, ſummam Poteſtatem &c. ita & illud, quod excludit ſummam Unitatem & Simplicitatem, quæ æquè ſunt Attributa Dei ac Bonitas &c.

21. *Nec dicas.* Non poſſe cum veritate rei majorem in Deo excogitari Unitatem, quàm quæ compatiatur inter divinas dignitates diſtinctionem mediam, quia aliàs eidem ſimplici rei convenirent prædicata contradictoria : hoc enim refutabitur *hic num.* 29. 30. & 31. ergo & id refutatur, unde hoc deductum eſt.

22. *Ratio* II. Ut hæc propoſitio ante intellectum in ſenſu formali vera ſit: *Miſericordia non eſt Juſtitia,* quam ita veram eſſe aſſerunt Scotiſtæ, requiritur, ut de Miſericordia divina negetur identitas non tantum formalis, ſed realis cum juſtitia Dei : atqui juxta Scotiſtas non negatur identitas realis, ſed tantum formalis : ergo illa propoſitio non eſt in ſenſu formali vera : proinde miſericordia Dei non diſtinguitur diſtinctione mediâ à juſtitia Dei, & ſic diſ-

diſcurrendum eſt de cæteris divinis dignitatibus. *Probatur major*: ut affirmativa contradictoria: *Miſericordia Dei ante intellectum eſt juſtitia Dei*, foret vera, deberet affirmari inter dignitates illas identitas non tantum formalis, ſed etiam realis: ergo ex oppoſito &c. &c.

23. RESOLUTIO III. Dignitates divinæ nequidem per intellectum noſtrum diſtingui poſſunt ab Eſſentia Dei pariformiter ſumptâ. Hoc eſt juſtitia v. g. juſtificativa: Eſſentia eſſentiativa, juſtitia juſtificabilis cum eſſentia eſſentiabili, & juſtitia juſtificare cum eſſentia eſſentiare, ita ut una habeat jus priùs terminandi cognitionem noſtram, vel ut una potiore jure concipiatur tanquam radix, & aliæ tanquam proprietates indefluentes.

24. *Ratio* deſumitur ex *num.* 9. *quæſt.* 3. Eſſentia Dei non debet *potius* conſtitui in unâ divinâ dignitate, quam in alterâ: ergo dignitas Dei non poteſt concipi ſine Eſſentia Dei pariformiter ſumpta; ſi verò ſumatur difformiter, hoc eſt, juſtitia juſtificativa & eſſentia eſſentiabilis, tunc diſtinguuntur realiter: Sunt enim tunc Pater & Filius.

25. *Dices*. Etiam Eunomius hæreticus Sæculo IV. rejecit omnem diſtinctionem rationis inter Eſſentiam Dei & ejus Attributa, & ideo refutatus à Ss. PP. *Reſpondeo*. Ille hæreticus duplicem habuit finem aſſerti ſui. *Primus* erat, ut incognoſcibilitatem divinæ Triadis probaret: Schola verò Lulliana è diametro oppoſitum docet, eandem naturalibus etiam rationibus poſſe demonſtrari præſuppoſitâ tamen fide. *Alter* finis hujus Hæreſiarchæ fuit, ut rejecta ex hoc fine diſtinctione rationis omnia, quæ de Deo Trino dicuntur per affirmationem & negationem, rejiceret in diſtinctionem ſtrictè realem inter naturam Dei & perſonalitates & divinas item dignitates, adeoque evinceret pluralitatem, quod utique falſiſſimum eſt, & à Schola Lulliana ſolidiſſimè confutatur.

26. RESOLUTIO IV. Dignitates Dei ante intellectum nullo modo diſtingui poſſunt, ſed ſunt ſummè

mè idem. Vide Doctorem Illuminatum *Quæſt. 4. in Quæſtionibus ſupra Magiſtrum ſententiarum Tom. IV.*

27. *Ratio.* Quia inter dignitates Dei ex mente Ss. PP. fundata in ſacris literis ſimpliciter loquentibus: *Ego & Pater unum ſumus: Tres ſunt, qui teſtimonium perhibent . . . & hi Tres unum ſunt*, eſt ſumma Unitas, & ſumma ſimplicitas: ergo nullam patitur in Deo diſtinctionem, ſed tantùm extrinſecam rationis noſtræ,

28. *Dices. Concilium Rhemenſe contra Gilbertum* ait: Inter Eſſentiam & Perſonam ratio non diſtinguit, ergo nec inter dignitates Dei. *Reſpondeo primò* etiam ratio non poteſt diſtinguere inter Perſonam & & Eſſentiam pariformiter ſumptam: nam eſſentia eſſentiativa eſt formaliter Pater, non tamen cognitus cum omnibus *Tivis* v. g. Juſtificativo, poteſtativo &c. &c. Sed de his in *Quæſt. ſequenti. Reſp. 2dò.* Gilbertus finxit diſtinctionem rationis Theologicam, quatenus mens nil poſſet diſtinguere, quàm quod realiter jam fuerit diſtinctum, hoc damnavit Concilium, quod & Schola Lulliana ex manifeſtis rationibus ſemper rejicit.

ARTICULUS III.

Solvuntur Argumenta à Scholis adverſantibus contra principia Lulliana Articulo II. allata.

29. AD *Rationem I.* ex Schola Thom. quando ſunt res plures, quibus conveniunt prædicata contradictoria realia, non evertitur principium illud lumine naturæ notum: *idem non poteſt ſimul eſſe & non eſſe*, quod tamen ruit, ſi eidem ſimpliciſſimæ actualiter Deitati convenirent ejuſmodi prædicata contradictoria: Dein non dari æquivalentiam ad ſalvanda prædicata contradictoria in divinis, abunde probatum eſt. *num.* 15. & 24. *hujus Quæſtionis.*

30. *Ad Rationem II.* Viderint Suareſiani, quomo-

modo ſolvant illa prædicata contradictoria realia: *Paternitas generat, Eſſentia non generat*: cum enim juxta illos ſint realiter omni modo quid idem, ſequeretur idem generare, & non generare, nec juvat diſtinguere: eſſentia non generat ſecundùm eſſe abſolutum, *Concedo.* ſecundùm eſſe relativum, *Nego.* Nam ſic eſſe relativum & abſolutum in Patre diſtinguerentur realiter, quod tamen ipſi non admittunt: in Scholâ verò Lulliana nihil faciliùs, quàm ſolvere hanc objectionem: nam eſſentia eſſentiativa etiam generat, quæ eſt Paternitas. Porro videtur hæc diſtinctio virtualis merum effugium, quo ſe arctiùs intricant, uti videre eſt *num.* 15.

31. *Ad rationem I. ex Schola Scotiſtarum Nego conſequent.* idem enim realiter poteſt diverſis repræſentari cognitionibus, & hoc eſt medium inter duo realia & duo intentionalia.

32. *Ad rationem* II. reſpondetur idem quod Thomiſtis num. 27.

QUÆSTIO V.

An & quomodo dignitates Dei agant tum ad intra, tum ad extra.

1. STATUS QUÆSTIONIS *eſt primò.* An, dum Pater generat Filium, Pater & Filius ſpirant Spiritum S. etiam ſimul agant dignitates Dei, & quidem an æqualiter agant ita, ut non plùs aut minùs Omnipotentia, quàm Æternitas, Immenſitas aut aliud Prædicatum divinum.

Secundò quæritur: an, dum Deus agit ad extra, etiam ſimul agant dignitates Dei, & quidem ita, ut quod uni tribuitur, etiam tribuatur alteri.

AR-

ARTICULUS I.

Reſolutiones ex Scholis Doctrinæ Lulliane contrariis.

2. RESOLUTIO I. ex Schola triplici, Thomiſtarum, Scotiſtarum, & Suareſianorum: Dignitates Dei non agunt ad intra.

3. *Ratio* I. Ad intra nihil agit in Deo, niſi tres relationes, uti conſtat ex Conciliis & Ss. PP. atqui dignitates divinæ non ſunt relationes divinæ, ſed ſunt identificatæ Eſſentiæ divinæ, quæ habet ſe pro priori ad tres relationes: ergo non agunt ad intra.

4. *Ratio* II Si Æternitas, Immenſitas, Omnipotentia &c. &c. agerent ad intra, quævis produceret aliam Æternitatem, Immenſitatem, Omnipotentiam &c. &c. & ſic darentur plures immenſi, omnipotentes, æterni, quod eſt contra fidem & ſymbolum S. Athanaſii.

5. RESOLUTIO II. *ex eiſdem Scholis.* Dignitates Dei non agunt ad extra æqualiter cum eâdem denominatione.

6. *Ratio* I. eſt alia conceptibilitas omnipotentiæ vel Thomiſticè, vel Scotiſticè ante intellectum, vel per intellectum Suareſianorum diſtincta à conceptibilitate Immenſitatis, Æternitatis &c. ergo quando Deus agit ad extra, cum alia denominatione agit Omnipotentia, quàm Immenſitas & Æternitas: ergo non agunt ad extra æqualiter denominativè.

7. *Ratio* II. Omniſcientia agit per cognitionem intra intellectum, & non producit aliquid extra Deum: Immenſitas & Æternitas pertinent ad exiſtentiam, & ſunt extra conceptum virtutis activæ: ergo quando Deus agit ad extra non agunt dignitates Dei æqualiter cum eâdem denominatione.

8. *Ratio III. ab inductione primò.* Deus ſcit peccatum, & tamen non vult. *Secundò.* Deus ex largitate nobis

con-

concedit gratias ſupernaturales, non ex Juſtitia. *Tertiò.* Deus per Juſtitiam punit damnatos, non per Miſericordiam: ergo non convenit idem actus externus denominativè huic dignitati divinæ, qui tamen convenit alteri.

ARTICULUS II.

RESOLUTIONES ad eandem Quæſtionem ex Schola Lulliana.

9. RESOLUTIO I. Dignitates Dei agunt ad intra.

10. *Ratio* I. Pater generando Filium agit ad intra, Pater & Filius in Spiratione agunt ad intra, ſed Omnipoteſtas omnipoteſtiva, Æternitas æternificativa (& ſic loquere de cæteris Dei dignitatibus) ſunt ipſe Pater, Æternitas verò æternificabilis reſpectu Patris & æternificativa reſpectu Spiritûs S. eſt ipſe Filius: Æternitas æternificare, & hoc ipſo tanquam vinculum ſubſtantiale unitiva utriusque Patris ſcil. & Filii eſt ipſe Spiritus S. uti explicabitur in *Quæſt. de Ss. Triade*, & jam aliquid dictum eſt *Quæſt.* 3. *num.* 19. 20. & 21. ergo agunt ad intra. Vide *Doctorem Illuminatum Tom. IV. in Quæſt. per Artem demonſtrat. ſolubil. Quæſt.* 3. & *ſequentibus.*

11. *Ratio* II. Si non agunt ad intra divinæ dignitates: ergo ſunt pro tota Æternitate otioſæ, & habent concordantiam cum effectu infinitè ignobiliore, implicantiam verò cum effectu infinitè nobiliſſimo, quod eſt impoſſibile.

12. RESOLUTIO II. Divinæ dignitates agunt ad intra æqualiter.

13. *Ratio.* Filius à Patre ſive ab Omnipotentia omnipoteſtativa non accipit minorem Omnipotentiam omnipoteſtabilem, quam ab Æternitate æternificativa Æternitatem æternificabilem (idem eſt de cæteris prædicatis) aliàs in Filio eſſet infinitè majus & mi-

minus, quod eſt impoſſibile: ergo dignitates divinæ agunt ad intra æqualiter.

14. RESOLUTIO III. Dignitates divinæ agunt ad extra æqualiter, ita, ut uni debeat tantus in ſuo genere effectus tribui, quantus tribuitur alteri. Ita *B. Doctor Tom. 4. in Quæſt. per Artem demonſt.* ſolubilibus multis Quæſtionibus & paſſim in omnibus Tomis.

15. *Ratio* I. Dignitates divinæ ſunt realiter eſſentialiter identificatæ: ergo, dum una producit effectum, etiam eundem producit altera: aliàs idem produceret hunc effectum, & idem eundem non produceret; nec eſt ratio aut fundamentum, cur intellectus neget effectum de una Dei dignitate, & affirmet eundem de alterâ. Vide *num. 9. Quæſt.* 3. ſupra.

16. *Ratio* II. Si poſſem verè dicere, quòd una divina dignitas agat in hoc ſubjectum creatum, & altera in idem non agat per æquales ſuas idæas. v. g. ſi poſſem verè dicere: Juſtitia Dei punit damnatos, Miſericordia Dei non punit illos: ergo negarem de Miſericordia Dei infinitam Perfectionem in unâ lineâ ſcil. *in punire damnatos*: ergo careret Miſericordia infinita Perfectione in lineâ Juſtitiæ: ergo non eſſet divina; quia, quod eſt divinum, eſt omniperfectum, quod eſt impoſſibile: item fingerem aliquid infinitè oppoſitum ſummæ Dei ſimplicitati reali, in quâ fundamentum nullum reale eſt, ut intellectus verè affirmet de unâ Dei dignitate aliquid, quod negat de alterâ.

ARTICULUS III.

Solvuntur Argumenta à Scholis Doctrinæ Lullianæ contrariis Articulo I. *adducta.*

17. AD *Rationem I num.* 3. *Nego minorem.* Dignitates Dei ſunt ipſæ Relationes divinæ, nec datur Eſſentia Dei abſoluta pro priori ad Relationes divi-

divinas, *uti probatam eſt Artic.* 3. *à num.* 13. *ad* 21.

18. *Ad Rationem* II. *num.* 4. Darentur duæ Æternitates ſimpliciter & ſine addito, *Nego.* Æternitas æternificativa, æternificabilis & æternificare, *Concedo. Vide eosdem numeros Artic.* 3. *modo citatos.*

19. *Ad Rationem* I. *num.* 6. *diſtinguo antecedens.* Eſt alia conceptibilitas in Deo *Nego.* in noſtris imperfectis cognitionibus *Subdiſting.* quæ cum fundamento veritatis aliquid negare poſſunt de una dignitate Dei, quod de alterâ affirmant *Nego,* ſine fundamento veritatis *Concedo.*

20. *Ad Rationem* II. *num.* 7. *Nego antecedens.* Omniſcientia Dei producit effectus extra Deum ſicut omnipotentia, & ſicut effectus ab omnipotentia accipiunt idæam poteſtatis, ita per omniſcientiam idæam ſcientiæ, quæ vocatur in irrationalibus & inanimatis inſtinctus, ſicut voluntas Dei imprimit irrationalibus creaturis idæam, quæ dicitur appetitus, qui vocatur in inanimatis tendentia: item inanimatis imprimit Miſericordia Dei idæam, quæ appellatur Sympathia &c. &c. Ratio horum omnium eſt, quia ſi omniſcientia non ageret ad extra, eſſet minor in agendo omnipotentiâ: & quia hæc eſt infinita, illa foret infinitè minor, quod eſt impoſſibile.

21. *Ad Rationem* III. *& ejus inductionem primam: diſtinguo* 2dam partem: non vult peccatum voluntate proſecutivâ amoris *Concedo*, averſativa odii, *Nego.* Deus ſcit peccatum non quomodocunque, ſed ſcit odibile: quæ ſcientia dici poteſt quaſi negativa, ſive non approbativa. uti Chriſtus dixit ad fatuas Virgines: *neſcio vos*: ideo etiam Voluntate oditivâ vel quaſi negativâ vult peccatum eſſe nihil. Nam ſicut divina Bonitas non poteſt bonificare malum, cum hoc non poſſit eſſe objectum divinæ Bonitatis, ſic ſcientia non propriè dicitur ſcire falſum, quia veritas ſola poteſt eſſe objectum ipſius, perinde ùt voluntatis objectum eſt bonum & non poteſt eſſe malum. *Ad ſecundam inductionem Nego aſſertum.* Sicut Deus concedit

cedit nobis gratias ſupernaturales ex Largitate juſtâ, ita convertibiliter ex Juſtitiâ largâ: nec una Dignitas eſt minor aut major alterâ in agendo ad extra... porro videntur Scholæ adverſæ hanc Dignitatem Dei, *Juſtitiam*, in ſenſu longè alio, quam oporteat, ſumere, dum contendunt verè dici, Deus non largitur nobis gratias ſupernaturales ex Juſtitiâ: tunc enim intelligunt Juſtitiam Dei Juſtitiæ noſtræ imperfectæ ſimilem, quaſi in nobis eſſet jus aliquod in Deum, vi cujus Deus obſtringeretur ad dandas nobis gratias ſupernaturales, & niſi daret, faceret nobis injuriam. qui conceptus juſtitiæ â Deo alieniſſimus eſt, non enim Deus poteſt eſſe creaturæ obſtrictus ex Jure paſſivo: alioquin eſſet aliquo modo creaturæ ſubjectus, quod eſt impoſſibile. Divina ergo Juſtitia in eo conſiſtit, quod agat modo divinis Dignitatibus conveniente v. g. largiter, ſapienter, potenter &c. &c. & hæc Deo eſſentialis Juſtitia agit ad extra cum divinâ largitate in diſtribuendis gratiis ſupernaturalibus. *Ad Inductionem tertiam Nego ſecundam partem.* Deus punit damnatos ex Juſtitiâ miſericorde, & convertibiliter ex miſericordia Juſta alligat intellectum damnatorum ad Miſericordiam, quam intuendo, quod tam prona fuerit ad miſerendum & ſalvandum, & quòd nihilominus illam tam protervè rejecerint, ad deſperationem uſque torquentur. hac de re fuſiùs in ſequentibus, ubi agetur de Pœnis damnatorum.

QUÆSTIO VI.

Quid ſit Omnipotentia Divina?

1. STATUS QUÆSTIONIS *eſt*, an definitio Omnipotentiæ divinæ deſumenda ſit ex poſſibilitate creaturarum (ut vocant) intrinſecâ: an ex idæis divinis tantum: an verò peti debeat ex Circu-

lo convertibilitatis inter Dignitates divinas, ut exhibet Figura A. Tom. 1. Magni Lulliani operis Moguntiæ impreſſi.

ARTICULUS I.

Reſolutiones ex Scholis Lullianæ Doctrinæ contrariis.

2. RESOLUTIO I. *ex Scholâ Scotiſticâ.* definitio Omnipotentiæ Dei deſumi debet à poſſibilitate creaturarum intrinſecâ, adeoque ſic bene definitur: Omnipotentia Dei eſt Poteſtas producendi ad extra, quidquid intrinſecè non implicat, ita multi ex Scholis Lullo adverſantibus.

3. *Ratio* poſſibilitas creaturarum intrinſeca eſt ipſa prædicatorum eſſentialium concordantia, ſicuti impoſſibilitas eſt ipſa prædicatorum eſſentialium repugnantia; atqui ab hac peti debet poteſtas vel impotentia agendi, cum illa poſſibilitas & impoſſibilitas ſit ratione prior potentiâ vel impotentiâ agendi: ideo enim, quod eſt impoſſibile conſequenter. v. g. productio hominis in puris naturalibus, eſt poſterius Omnipotentiâ, quia pendet à Libertate Dei, â quâ non dependet poſſibilitas & impoſſibilitas intrinſeca quaſi antecedens & abſoluta, v. g. impoſſibilitas creaturæ omniſciæ, poſſibilitas alterius mundi &c. ergo à poſſibilitate intrinſecâ peti debet definitio divinæ Omnipotentiæ.

4. RESOLUTIO II. Definitio Omnipotentiæ divinæ peti debet tantùm ab idæis divinis, adeoque ſic definitur: eſt Poteſtas producendi ad extra, quidquid idææ divinæ repræſentant producibile, ita multi alii ex iiſdem Scholis.

5. *Ratio* I. Omnipotentia Dei non agit cæco modo: ergo practicè dirigi debet ab idæis divinis, & quia idææ illæ dirigunt practicè, ideo habent ſe pro priori ad poſſibilitatem intrinſecam.

6. *Ratio*

6. *Ratio* II. Omnis perfectio creaturarum habetur â Deo, cum non ſit à ſe, aliàs foret Deus, & conſequenter non eſſet poſſibilitas intrinſeca creaturarum: atqui poſſibilitas creaturarum intrinſeca eſt perfectio oppoſita Chymæræ tanquam imperfectioni: ergo habetur â Deo: conſequenter non eſt primum prædicatum, per quod definiri debet Omnipotentia Dei, ergo peti debet ab Attributo divino, quo alio convenientiore, quàm â Sapientiâ & idæis Dei?

7. RESOLUTIO III. *Omnium Scholarum contra Lullianos.* definitio Omnipotentiæ Dei non debet, nec poteſt peti â circulo convertibilitatis inter Dignitates divinas.

8. *Ratio* I. quia aliàs idem definiretur per idem, & obſcurum per æquè obſcurum, quod eſt contra regulas bonæ definitionis.

9. *Ratio* II. Si omnipotentiæ definitio peti debeat ex circulo convertibilitatis inter dignitates divinas: ergo deberem dicere: Omnipotentia eſt Poteſtas, quæ poteſt producere *ſolùm* illa, quæ ſcit Sapientia Dei, *&* quæ vult Voluntas, atqui hæc ſunt apertè falſa, quia Deus millena ſcit, & poſſet producere, quæ non vult producere v. g. poteſt producere millenos novos mundos & milliones millionum hominum, quos tamen non vult è nihilo extrahere: ergo non poteſt definitio Omnipotentiæ peti â circulo convertibilitatis inter Dignitates divinas.

10. *Ratio* III. Si Deus non poſſit plura producere, nec plura ſciret, quàm vellet producere: ergo exhauriretur Omnipotentia â creaturis finitis, quia Deus tantùm vult finitas producere, & plures Omnipotentia producere ex hac opinione non poſſet; quis autem non videt abſurdum eſſe & impoſſibile infinitum exhauriri â finito?

11. *Confirm.* I. *S. Aug. in Enchir. cap.* 95. aſſerit, Deum multa poſſe, quæ non vult: ergo ejus Omnipotentia plus poteſt, quàm velit Voluntas.

12. *Confirm.* II. *S. Ambr. lib.* 2. *de fide cap.* 3.

explicans hæc verba: *1mæ ad Corinth.* 12. Spiritus S. dividit ſingula, prout vult. ita inquit: *libero voluntatis arbitrio non neceſſitatis obſequio.*

ARTICULUS II.

Reſolutiones ad eandem Quæſtionem ex Schola Lulliana.

13. RESOLUTIO I. Non datur etiam in mente Dei poſſibilitas intrinſeca creaturarum ullo modo ab Omnipotentia cæteriſque Dignitatibus Dei, ab æterno diſtincta: proinde ab illa nec peti poteſt definitio Omnipotentiæ.

14. *Ratio* ex verbis ipſius Doctoris Illuminati quæ habet in *Diſputatione ſuper aliquibus dubiis Quæſtionibus ſententiarum Magiſtri Petri Lombardi contentâ Tom.* 4. *Magni operis Lulliani Quæſt.* 27. *num.* 2. *ſi affirmativa quæſtionis eſſet tenenda, divina Poteſtas eſſet limitata & finita, in quantum de nihilo non poteſt producere aliquid, cum eſſe eſſentiæ totius univerſi & ſuarum partium eſſet actu, cum ab æterno ſit ſcitum â Deo* (tanquam aliquid aliquo modo â Sapientia Dei diſtinctum, uti ſe explicat. numero ſequente in objectione) *unde ſequeretur quod ſcire Sapientiæ Dei limitaret* POSSE *divinæ Poteſtatis, in quantum non poſſet aliquid producere de nihilo, & per conſequens ſcire divinum eſſet limitatum, cum ſit idem cum* POSSE divinæ Poteſtatis, & quia hæc omnia ſunt impoſſibilia, ergo omnia ſcita â Deo non habuerunt *eſſe* Eſſentiæ ab æterno.

15. *Dices contra hanc rationem*, poſſibilitas creaturarum intrinſeca non fuit ens ab æterno perfectum, ſed ens diminutum, quæ eſt phraſis ſcotiſtarum, vel ens quidditativum, quem loquendi modum uſurpant Thomiſtæ: adeoque Omnipotentia Dei adhuc producere poteſt creaturas ex nihilo ſui quoad exiſtentiam realem perfectam.

16.

16. *Contra eſt I.* Poſſibilitati intrinſecæ creaturarum convenit Æternitas propria & perfecta: ergo ea etiam quæ cum Æternitate perfecta convertuntur, nimirum exiſtentia realis & perfecta, imò & Deitas; proinde hæc poſſibilitas Dei juxta adverſarios diſtincta à Deo, eſſet Deitas, quod eſt impoſſibile.

17. *Contra eſt* II. Illa poſſibilitas intrinſeca creaturarum vel ab æterno eſt extra Deum, vel in Deo: non *primum*, quia in Æternitate non datur locus, nec tempus, conſequenter nec extra Deum aliquid, ubi poſſit ſubſiſtere illa entitatula; nec *ſecundum*, quia aliàs in Deo eſſet aliquid infinitè imperfectius Deo, quod eſt impoſſibile.

18. RESOLUTIO II. definitio Omnipotentiæ divinæ non debet peti tantùm ab idæis divinis, ita ut hæc ſit propria ejus definitio: *Poteſtas producendi ad extra quidquid divinæ idææ repræſentant producibile.*

19. *Ratio.* Ex hactenus dictis patet, quod non ſit potior ratio, cur affirmetur aliquid de una Dignitate potiùs, quàm de alterâ: aliàs ſi potius de idæis divinis ſive Dei Sapientia affirmari debeat petendam eſſe definitionem Omnipotentiæ, quàm de aliâ Dignitate, una eſſet alterâ minor in eo, in quo non poteſt de eâ affirmari idem: & quia quævis Dignitas eſt infinita, quævis eſſet in eodem prædicato infinitè minor Sapientiâ ſive idæis Dei, quod eſt impoſſibile.

20. *Notandum* Plane impertinenter addi in definitione *Omnipotentiæ* ab adverſariis: Poteſtas productiva *ad extra*, cum æque ſit productiva ad intra, uti Quæſtione præcedente probatum eſt.

21. RESOLUTIO III. Poteſt ac debet definitio Omnipotentiæ peti â circulo convertibilitatis inter Dignitates Dei, ita ut ſenſus ſit, Omnipotentia eſt poteſtas producendi omnia, quæ Voluntas vult, & Sapientia ſcit, & Æternitas facit durare, ſicut è converſo Bonitas eſt virtus bonificativa omne id, quod Omnipotentia poteſt, Voluntas vult. &c. &c.

22. *Ratio eſt eadem* quæ num. 17. & probatum

eſt ſæpiùs in articulis: *Quomodo diſtinguantur Dignitates Dei, Quomodo agant ad intra & ad extra.* item *Quæſt.* 3. *de Quidditate Dei.*

23. *Dices contra hanc rationem.* ſequeretur, quod etiam detur circulus convertibilitatis inter actus Dignitatum Dei, quia etiam hi ſunt realiter quid idem: ergo generatio Filii Dei eſſet creatio mundi: & quia Filius Dei eſt ab æterno genitus, etiam mundus foret ab æterno creatus, quod eſt contra fidem. Reſpondeo. *Nego Sequelam.* Generatio Filii Dei eſt actus Dei Deificativi, ſive Patris ad ſolum Filium, qui eſt Deus Deificabilis. Sed creatio mundi eſt actus trium Perſonarum ſimul ad extra ita *B. Doctor Tom.* 4. *in Quæſt. ſuper lib. Sententiarum Petri Lombardi fol.* 13. *Quæſt.* 9.

ARTICULUS III.

Solvuntur Argumenta contra Scholam Lullianam Articulo I. *allata.*

24. AD *Rationem* I. *num.* 3. Probatum eſt num. 12. hujus Quæſtionis non dari talem intrinſecam creaturarum poſſibilitatem: ideoque ruit totum argumentum. illud præterea ſpecialiter falſum eſt, quod in creaturis debeat aliquid priùs concipi, quàm divina Dignitas, uti oſtendetur *in Quæſtione de ſcientiâ Dei infra.*

25. *Ad Rationem* I. *num.* 5. ſicut Omnipotentia Dei non agit cœco modo, ſic nec injuſto modo, neq; temporaliter, nec localiter: ergo ſicut petitur Omnipotentiæ definitio ab idæis divinis, ita â Juſtitiâ, Æternitate, Immenſitate, & cæteris divinis Dignitatibus per circulum convertibilitatis.

26. *Ad Rationem* II. *num.* 6. Argumentum ſupponit dari intrinſecam creaturarum poſſibilitatem ab æterno in mente Dei extitiſſe tanquam aliquid aliquo modo â Deo diſtinctum, quod refutatum jam eſt *num.* 12. & 13. *hujus Quæſt.* 27. *Ad*

27. *Ad Rationem* I. *num.* 8. *Nego aſſertum*, una divina Dignitas magis manifeſtatur per comparationem reliquarum per circulum convertibilitatis; ubi per hanc comparationem apparet, quid quævis non tantùm poſſit in conceptibus noſtris abſtractivis ſed in ſe realiter. ſicut manifeſtiſſimè definitur punctum medium circuli per hoc, quod omnes lineæ in circumferentiâ ab eo ductæ æqualiter, etiam æqualiter ab eo diſtent.

28. *Ad Rationem* II. *num* 9. *Nego minorem & probationem.* Poteſtas Dei & Voluntas Dei ſunt realiter idem: ergo, quæ Deus realiter vult, illa realiter poteſt producere, nec plus, nec minus; aliàs una Dignitas in agendo eſſet infinitè major, & minor alterâ, quod, uti ſæpiſſimè inſinuatum eſt, falſiſſimum eſt.

29. *Ad Confirmationem num.* 10. *Reſpondeo primò retorqueo*: ergo exhauriretur Voluntas Dei, cum illa utpote infinita, non poſſet velle niſi finita. Reſpondeo *ſecundo Nego ſequelam:* Quomodo exhauritur, cum impleatur Voluntate infinita & poſſit omne id, quod infinita Dei Voluntas vult.

30. *Ad confirmationem* I. S. Aug. ut intellectum noſtrum dedoceret cogitare tam imperfectè, quaſi Dei Omnipotentia exhauriretur, ſi illa finita tantùm poſſit producere, quæ Dei Voluntas vult producere, ſumit ibi Poteſtatem abſolutam, in quâ dicit nullam eſſe impotentiam aut defectum ad millena & millena producenda; ſi tamen convertibiliter comparetur Omnipotentia Dei cum Voluntate, Sapientiâ &c. &c. ùt debet comparari, ſi priùs dedoctus intellectus ſeponat cogitationem, quod poſſit exhauriri Dei poteſtas tunc id Poteſtas divina poteſt, quod vult Dei Voluntas. Hanc fuiſſe *S. Auguſtini* mentem, patet ex iis, quæ dicit *Lib.* 3. *de libero arbitrio cap.* 5. *quidquid* tibi VERA *ratione melius occurrerit, ſcias feciſſe Deum.* ergo *vera* ratione nil poteſt occurrere, quod potuerit melius facere, conſequenter nec poſſit: ergo etiam nil poteſt melius velle, quàm quod voluit & volendo produxit. comparat nimirum hic S. *Au-*

guſtinus divinam Poteſtatem cum fine, ad quem modo ſapientiſſimo Deus effectus direxit & dirigit: cum igitur Bonitas deſumi debeat â fine, & finis ſit optimus, melius produci â Deo non poteſt, quàm quod nunc ad optimum finem modo ſapientiſſimo attemperavit.

31. *Ad confirmationem* II. explico textum & mentem *S. Ambroſii* non neceſſitatis Deo non competentis obſequio *Concedo* competentis *Nego* Neceſſitas agendi optimum Deo debet convenire: non verò neceſſitas coacta, quæ non ſimul eſſet larga, ſed foret Servitus, & dependens â ſuperiore.

32. *Quæris adhuc.* an ergo alter mundus intrinſecè ſit impoſſibilis? *Reſpondeo* eſt hæc propoſitio de ſubjecto non ſupponibili, cum nec poſſibilitas, nec impoſſibilitas intrinſeca creaturarum detur. igitur eſt impoſſibilis ideo, quia Voluntas Dei non vult alterum mundum producere; igitur nec Omnipotentia poteſt. item ſi poſſet alterum mundum producere, ergo adhuc plures & perfectiores: ergo producendo milleſies imperfectiorem nec fuiſſet ſummè ſapiens, nec infinitè largus, qui enim ſine omni damno & incommodo poteſt dare perfectius in infinitum, & communicat milleſies imperfectius, certè ſummè largus dici non poteſt. item eſſet perpetuò plus in potentia, quàm in actu ratione actionis ad extra, quod eſt impoſſibile. vide *Quæſt. præliminarem hujus tractatûs.* ubi notandum, quod nunquam in actione reali debeat ſumi una Dignitas divina ſine alterâ in circulo convertibilitatis vide *B. Doct. Tom.* 4. *in Quæſtionibus per Artem demonſtrativam ſolub. quæſt.* 31.

QUÆSTIO VII.

Quid ſit Æternitas DEI.

1. STATUS. QUÆSTIONIS *eſt primò* an Æternitas

tas ſit Dignitas Dei? . . . *ſecundò* an Æternitas excludat omne tempus etiam virtuale? . . . *tertiò* quis ſit conceptus eſſentialis Æternitatis?

ARTICULUS I.

Reſolutiones ex Scholis Doctrinæ Lullianæ contrariis.

2. RESOLUTIO I. *ex Scholâ Thomiſticâ* Æternitas ſimpliciter ſumpta ſine addito quod ſit divina, non eſt attributum Dei, ſed poteſt etiam convenire creaturæ, adeoque mundus potuit exiſtere ab æterno.

3. *Ratio* I. De conceptu eſſentiali creaturæ tantùm eſt, ut ſit ab alio; qui conceptus maneret, ſi creatura ab æterno fuiſſet producta: quia tunc non eſſet â ſe, ſed â Deo, & proinde â Deo adhuc infinitè differret.

4. *Confirmatur.* Licet accidens exigat eſſe in ſubjecto, poteſt tamen ſupernaturaliter eſſe extra ſubjectum, quin propterea induat naturam ſubſtantiæ: ergo etiam licet creatura exigat eſſe in tempore, poteſt tamen ſupernaturaliter eſſe æterna, quin propterea fieret Deus.

5. *Ratio* II. Si Deus non potuit mundum ab æterno producere: ergo tota Æternitate habuit impotentiam ad producendum mundum pro Æternitate, & habet tantùm potentiam ad producendum mundum in tempore, quod videtur abſurdum.

6. *Confirmatur.* Si ſol extitiſſet ab æterno, neceſſariò produxiſſet lucem ab æterno tanquam cauſa neceſſaria: ergo cùm Deus exiſtat ab æterno, potuit ſaltem mundum producere ab æterno tanquam cauſa libera.

7. RESOLUTIO II. *ex Scholâ Suareſiana.* Æternitas eſt Attributum divinum, quod excludit ex ſe

omne tempus actuale, non tamen virtuale, hoc eſt, habet virtutem, ut coexiſtat Deus per Æternitatem ſucceſſioni temporum, uti modo fit, & fieri potuiſſet, ſi mundum priùs condidiſſet.

8. *Prima pars* non indiget probatione, *ſecundæ partis ratio eſt*: quia ſicut Deus æternaliter exiſtens ante tempus & mundum iſtum, produxit tempus & mundum extra ſe, ita potuit etiam ante hoc tempus producere aliud tempus, atque in & cum alio tempore mundum alium, vel eundem, qui nunc eſt.

9. RESOLUTIO III. ex triplici Scholâ, & *Boëtio lib. 5. conſol. philoſophicæ proſâ 6ta*: Æternitas eſt interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio. definitionis Bonitas patet ex terminis.

ARTICULUS II.

Reſolutiones ex Scholâ Lullianâ.

10. RESOLUTIO I. Æternitas ſimpliciter & ſine addito, quòd ſit divina, tamen eſt Dignitas divina, adeoque mundus non potuit ab æterno creari â Deo.

11. *Ratio* I. Omniſcientia, Omnipotentia &c. &c. ſimpliciter ſunt dignitates Dei: quæ non poſſunt creaturæ ullo caſu convenire: ergo & Æternitas: ſicut enim illæ ſunt infinitæ in Scientia, Poteſtate ita hæc in Duratione.

12. *Dices contra hanc rationem:* ergo etiam Immortalitas erit Attributum divinum, & ſic Animæ hominum & Angeli non erunt immortales: *Reſpondeo primò retorqueo.* ergo ſicuti Angeli & Animæ noſtræ ſunt ex eſſentia ſuâ immortales, ita & mundus poteſt eſſe ex eſſentiâ ſuâ æternus. *Reſpondeo ſecundò*; Immortalitas creaturæ (non enim datur ullum prædicatum Deo & creaturæ univocum, uti docetur, ac probatur ex Philoſophiâ Lullianâ) *in linea Immortalitatis* involvit imperfectionem ſcil. tranſitum de *non*

eſſe

eſſe ad *eſſe perpetuò:* igitur non poteſt eſſe Dignitas divina, econtra Æternitas etiam creaturæ *ex ſuppoſito, in linea præciſe Æternitatis* non involveret ullam imperfectionem, ſed ſummam Perfectionem ſcil. Durationem ſine initio, medio & fine; proinde ex conceptu ſuo eſt Dignitas divina. his poſitis proponitur.

13. *Ratio* II. ex verbis ipſiusmet Illuminati Doctoris contentis *Tom* 4. *Lib. Quæſt. per Artem demonſtr.* „*ſolubilium quæſt.* 30. „Nulla differentia eſt eſſentia„liter & naturaliter inter divinam Poteſtatem, & cæ„teras Dignitates Dei, cum ſint idem numero, ut „probatum eſt, unde ſequitur, quod, ſi divina Po„teſtas potuiſſet creare mundum æternum, potuiſſet „creare illum infinitum in Duratione, ſed non infini„tum in Bonitate, Magnitudine, Poteſtate &c. &c. „nam iſto modo creâſſet illum Deum, quod eſt im„poſſibile: igitur, ſi Poteſtas potuiſſet creare mun„dum æternum, potuiſſet creare plus ratione Æter„nitatis, quam ratione ſui ipſius, & quàm ratione „Bonitatis, Magnitudinis &c. &c. & ſic Poteſtas eſſet „magis potens ratione Æternitatis, quàm ratione „ſui, & quàm ratione Bonitatis &c. &c. & ſic Æternitas eſſet eſſentialiter diſtincta â Poteſtate &c. &c. quia Poteſtas non poſſet illud ratione ſui & Bonitatis, quod poſſet ratione Æternitatis: nam ſi convertantur, ita quod ſit nulla diſtinctio inter ens, poteſt tantum ratione ſuî, quantum ratione Æternitatis: ſed eſt impoſſibile, quod Æternitas ſit eſſentialiter diſtincta à Poteſtate &c. &c. quare, ſicut Poteſtas non potuit mundum creâſſe infinitum in Poteſtate, Bonitate &c. ita nec per conſequens potuit illum creâſſe infinitum in Duratione.

14. *Confirmatur.* creari eſt tranſire de nihilo actuali ad *eſſe* actuale: ſicut annihilari eſt tranſire de *eſſe* actuali ad *non eſſe* actuale: ergo ſi mundus creatus eſſet ab æterno, fuiſſet creatus, ut ſupponitur, & non fuiſſet creatus, quia non tranſiiſſet de *non eſſe*, ſive de nihilo actuali ad *eſſe* actuale, quæ involvunt contradictionem.

15. RE-

15. RESOLUTIO II. Mundus non potuit priùs produci, quam productus eſt.

16. *Ratio* I. Ex verbis Illuminati Doct. Tom. 4. ſub finem. ex Lib. de *novo modo demonſtrandi fol.* 12. § *de creatione mundi:* „Suppono, quod ſit magnum „bonum, magnum verum eſſe, quod Deus creaverit „mundum in illo tunc, in quo primum tempus fuit „creatum & quod hoc intelligere & amare ſit mag„num verum eſſe, & ſi contraria ſuppoſitio eſſet vera „de neceſſitate ſequitur, quod ſit magnum bonum, „magnum verum eſſe, quod Deus creaverit mundum „extra creatum tempus & quod hoc intelligere & ama„re ſit magnum bonum verum eſſe, quod eſt falſum „& impoſſibile: ergo eſt oſtenſum, quod Deus crea„verit mundum in illo tunc, cui nullum tempus erat „præjacens. *Dices contra hanc rationem & oppones paritatem ſupra num.* 8. *allatam, ſed contra eſt hæc ſequens*

17. *Ratio* II. Si Deus potuiſſet mundum priùs creare, ergo etiam voluiſſet prius creare. quia Voluntas & Poteſtas ſunt idem convertibiliter ad extra, ut ſæpe inſinuatum eſt, ſed non voluit: ergo nec potuit.

18. *Ratio* III. Si Deus potuiſſet mundum priùs creare: ergo etiam debuiſſet: quia aliàs egiſſet contra ſummam ſuam ſapientiam. nam ſapientia requirit, ut artifex, ſi poſſit ſine incommodo & difficultate, quàmprimùm exhibeat ſuum opus artificioſum, & hoc in creatis, quantò magis in Deo, qui eſt ſummè ſapiens, & proinde ſummè amat, ut cognoſcatur â creaturis, ut diligatur â creaturis: ergo ſi diſtuliſſet, ut Adverſarii volunt, ſuî cognitionem, ſuî amorem â creaturis tot ſæculis, cenſeretur contra ſapientiam ſuam otioſus fuiſſe, quod eſt impoſſibile.

19. *Dices primò contra hanc rationem.* Deus nihil acquirit novæ perfectionis per creationem creaturarum, ſicut acquirit artifex humanus: ergo ſicut Deus eſt beatiſſimus & perfectiſſimus in ſe ſine creaturis, ita potuit eſſe ſine mundo, conſequentèr ſine mundo priùs condito.

20. *Con-*

20. *Contra eſt.* Deus amitteret Perfectionem ſapientis, ſi millenis & millenis annis potuiſſet priùs condere artificium ſuum perfectum, cauſare ſuî cognitionem, & amorem, & non feciſſet, ſicut amitteret Perfectionem Sanctitatis, ſi malum ſuadendo operaretur: pariter Sapientiam perderet, ſi bonum, quod ſine ullâ difficultate poſſet, non faceret, ſed omitteret & differret ad tot milliones annorum: & quocunque tempore Deus mundum condidiſſet, ſi priùs potuiſſet condere, ſemper manet idem argumentum: ergo non potuit mundum priùs condere, quàm condidit.

21. *Dices* II. *contra eandem rationem.* Deus non poteſt dici otioſus propterea, quod priùs non condiderit mundum, quia in Æternitate ſemper agit ad intra.

22. *Contra eſt* I. Quando concipimus Deum agere ad intra, concipimus unam Perſonam producere aliam: ergo ſaltem tota Trinitas in agendo fuiſſet otioſa tot millionibus annorum.

23. *Contra eſt* II. Ille in creaturis non eſt largus, qui ad extra, ſi facile poſſit, non communicat bonum, ergo multò minus Deus eſſet largus, ſi potuiſſet prius bonum communicare ad extra, & non feciſſet: cum igitur Deo deeſſe non poſſit largitas: ſequitur, quod non potuerit priùs condere mundum.

24. RESOLUTIO III. Æternitas eſt Dignitas divina faciens durare ſine initio medio & fine; ſive eſt Dignitas divina æternificativa, æternificabilis & æternificare quidquid Omnipotentia poteſt omnipoteſtare, Bonitas bonificare &c.

25. *Ratio primi.* quia per hoc differt eſſentialiter â tempore & ævo . . . *Ratio ſecundi.* quia Dignitates Dei pro ſtatu reali nunquam poſſunt ſumi ſine circulo convertibilitatis inter ipſas rationes divinas, ut probatum eſt *Quæſt. præcedenti.*

ARTICULUS III.

Solvuntur Argumenta à Scholis Lullianæ Doctrinæ contrariis Articulo I. adducta.

26. AD *Rationem* I. *num.* 3. *Reſpondeo I. retorq.* creatura inimenſa, omnipotens, omniſcia eſſet ab alio, & differret infinitè à Deo: ergo foret adhuc creatura, quod tamen non ſapit adverſariis. Reſpondeo II. eſſet ab alio, ut ſupponitur, & non eſſet, ut probatum eſt; differret à Deo, & non differret. igitur eſſet grandis chymæra.

27. *Ad confirmationem Reſpondeo I. diſtinguo antec.* accidens poteſt eſſe ſupernaturaliter ſine ſubjecto particulari *Concedo* univerſali *Nego* etiam accidentia Euchariſtica ſunt in ſubjecto univerſali, non tamen in ſubjecto particulari *panis. Reſpondeo II. tranſeat antecedens. Nego conſeq.* diſparitas eſt; bonum ſeu perfectum eſt ex integrâ causâ: malum verò ſeu imperfectum ex quovis defectu. cum ergo accidens reſpectu ſui oppoſiti, ſcil. ſubſtantiæ ſit malum ſive imperfectum, eſt tale, ſive actu, ſivè potentiâ & exigentia ſit in ſubjecto inhæſionis. econtra cùm Æternitas ſit bonum & perfectio, debet eſſe ex integrâ causâ, conſequenter & actu & exigentia eſſe æternum & extra tempus.

28. *Ad Rationem* II. *num.* 5. Deus ab æterno habet poteſtatem creandi mundum in tempore, illuduntur ergo, qui dicunt quod habeat impotentiam ad producendum mundum pro æterno: ſicut ſi velim abuti terminis, & dicere: Deus habet impotentiam ad mentiendum. Nimirum impotentia ex ſe eſt vox ſonans imperfectionem ſic ergo debet dici: Deus ex infinitâ ſuâ perfectione non vult, nec poteſt mundum producere ab æterno, quia mundus æternus eſſet alter Deus æque oppoſitus unitati Dei, quàm mendacium divinæ Sanctitati.

29. *Ad confirmationem.* paritas illa eſt ſimilis huic:

ſi

ſi peccator mendax eſſet Deus: mentiretur: ergo cùm Pater & Filius & Spiritus S. ſint Deus, mentiuntur, ſicut enim mendacium opponitur Sanctitati Dei, ſic chymæræ productio Omnipotentiæ divinæ. diſparitas ergo eſt, quia in primo ſubjectum ſuppoſitum eſt impoſſibile: hinc etiam habere poteſt effectum impoſſibilem: econtra in conſequenti ſubjectum eſt realiter exiſtens: cui non poteſt convenire idem effectus, qui ſubjecto impoſſibili.

QUÆSTIO VIII.

De Scientia Dei.

1. STATUS QUÆSTIONIS *eſt* I. Cum diverſa ſint objecta pro diverſo etiam ſtatu exiſtentia, an propterea ad veritates eruendas plures ſint in Deo ſcientiæ, quæ vocari ſolent *Scientia Simplicis intelligentiæ*, quæ eſt poſſibilium creaturarum: *Scientia media* quâ Deus videt aliqua futura non abſolutè, ſed ſub conditione: ſi concederet hæc aut illa gratiæ auxilia: & *Scientia viſionis* quâ Deus objecta creata v. g. actus noſtros liberos videt abſolutè futuros. II. *Quæritur* in quo ſubjecto Scientia Dei prævideat futura libera conditionata ſalvâ libertate creatâ v. g. conſenſum Petri ad peccatum futurum tunc, ſi accipiat hanc gratiam minùs congruam, vel conſenſum Pauli ad converſionem tunc, ſi accipiat maximè congruam gratiam: item converſionem Tyriorum tunc, ſi miracula apud ipſos patrentur, quæ in Corozaim facta ſunt? III. denique *quæritur*, quid ſit conceptus quidditativus Scientiæ Dei.

50

ARTICULUS I.

Reſolutiones ex Scholis Doctrinæ Lullianæ adverſantibus.

2. RESOLUTIO I. *ex Scholâ Thomiſticâ* duæ ſunt ſtatuendæ in Deo Scientiæ: Scientia ſimplicis intelligentiæ, & Scientia Viſionis. Tertiam ſcil. mediam vocant Thomiſtæ Inediam.

3. *Ratio.* innumera objecta ſunt poſſibilia, quæ nunquam erunt: ergo cùm alia ſit veritas objectiva poſſibilitatis & futuritionis, & actus ſpecificentur ab objectis, etiam eſt alia Scientia poſſibilium, quæ vocatur ſimplicis Intelligentiæ, & alia futurorum, quæ dicitur Scientia Viſionis.

4. RESOLUTIO II. *Ex eâdem Scholâ.* Futura libera conditionata prævidentur in Decretis Dei ſubjectivè abſolutis, & objectivè conditionatis, hoc eſt, in Decretis Dei, quæ abſolutè in Deo ſunt, quorum objecta tamen ſuſpenſa ſunt, donec â *Deo ipſo* ponatur certa conditio.

5. *Ratio.* poſſibile non tranſit ad futurum, niſi per Decretum Dei de exiſtentia: ergo futurum prævidetur in Decreto Dei, & cum futurum liberum v. g. conſenſus ſalutaris multùm pendeat, in quibus circumſtantiis gratiarum â Deo ponatur, tale Decretum, licet ſit ſubjectivè abſolutum, eſt tamen objectivè conditionatum aut ab effectu ſuſpenſum.

6. RESOLUTIO I. *Ex Scholâ Suareſianâ.* tres ſunt in Deo Scientiæ, ſimplicis intelligentiæ, media & Viſionis.

7. *Ratio* I. tres ſunt de objecti exiſtentia diverſæ veritates objectivæ, poſſibilitas, futuritio conditionalis, & futuritio abſoluta; ergo etiam tres in Deo ſunt ſcientiæ de his diverſis Veritatibus objectivis circa objecti exiſtentiam.

8. *Ratio* II. *Specialiter de ſcientiâ mediâ. Deuter.* 7. *&* *Exodi* 34. Deus revelavit: Judæos eſſe pervertendos,

rendos, ſi acceſſerint ad alienigenas: quem locum Spiritus S. interpretatur, dum 3. *Reg.* 11. dixiſſet, Salomonem eſſe ſeductum per mulieres alienigenas, ſtatim ſubjungitur: *de quibus Dominus dixit filiis Iſraël: non ingrediimini ad eas, nec de illis ingredientur ad veſtras: certiſſimo enim avertent corda veſtra, ut ſequamini Deos earum*: ergo Deus certiſſimè prænovit perverſionem illorum conditionatè futuram . . . *item lib.* 2. *Reg. cap.* 23. Davidi oraculum divinum interroganti, an, ſi manſurus ſit Ceilæ, Saul ad eum comprehendendum deſcenſurus ſit, & Ceilitæ ipſum Saüli tradituri ſint? ſimpliciter reſpondit Deus: *deſcendet, tradent.* Neutrum perfectè abſolutè futurum erat, ſed ſub conditione, ſi David ibi manſurus eſſet, Davide enim fugâ elapſo neutrum evenit . . . denique *Matth.* 11. prædixit Chriſtus, Tyrios & Sidonios acturos fuiſſe pœnitentiam, ſi vidiſſent ejus miracula.

9. RESOLUTIO II. *ex eâdem Scholâ.* Deus per ſcientiam mediam videt conditionata libera in ſe ipſis, ſive in connexione objectiva conſenſûs ſalutaris liberi, cum gratiâ, ſi detur: Hanc ſententiam etiam tuentur plures Scotiſtæ.

10. *Ratio.* Libera conditionatè futura ſunt objectum ſcibile: ergo hoc ipſo cognoſcuntur â Deo, non per ſcientiam ſimplicis Intelligentiæ; quia per hanc Deus videt ſolùm poſſibilia: nec per ſcientiam Viſionis, quia per hanc Deus cognoſcit tantùm abſolutè futura: ergo per ſcientiam inter utramque mediam.

ARTICULUS II.

Reſolutiones ex Scholâ Lullianâ.

11. RESOLUTIO I. non datur multiplex in Deo ſcientiâ de objectis diverſis quoad ſtatum exiſtentiæ, adeoque hæc nomina: ſcientia ſimplicis in-

telligentiæ, ſcientia Viſionis ſunt de Deo confiꝰa.

12. *Ratio* I. De ente infinitè ſimplici non poteſt verè dici etiam in noſtrâ mente, quod per unam ſcientiam ſimplicis intelligentiæ non videat futura: aliàs, contra quàm in ſe eſt Deus, affirmaret mens noſtra, quod Deus per ſimplicem Intelligentiam careat infinitâ Perfectione, qualis eſt ſcire omnia futura, ergo fingeret Deum, qui non eſſet omniſcius in conceptu noſtro, quod eſt abſurdum. *vide Quæſt.* 4. *ſupra.*

13. *Ratio* II. quæ non ſunt futura, etiam non ſunt poſſibilia: quia quæ non ſunt futura, Deus non vult: quæ autem Deus non vult, etiam non poteſt Omnipotentia, cum poteſtas & Voluntas in Deo tam ad intra quàm ad extra ſint idem, & æqualiter agant, ut ſæpiùs inculcatum eſt: ergo non datur in Deo Scientia alia futurorum, quæ dicitur Viſionis, & altera poſſibilium, quæ dicitur ſimplicis Intelligentiæ. item ſicut Deus non vult non futura, ſic etiam non ſcit illa, & ſicut Voluntas Dei volens bonum, & nolens malum, eſt eadem Voluntas, ſic ſcientia Dei ſciens futurum, & neſciens non futurum eſt eadem ſcientia & non multiplex &c. &c. ubi notandum venit eo modo objectum non eſſe futurum, quo non eſt poſſibile, & viciſſim. Hinc quia converſio judæ non erat futura *ob ejus finalem & liberam perſeverantiam in malo*, propter eandem cauſam ejus converſio non erat poſſibilis. Ex quo non inferas, liberam judæ in malo perſeverantiam cauſam eſſe præſcientiæ Divinæ. Sed illa libera in malo perſeverantia *præviſa* & ſcientia Dei ſimul ſunt. De hoc plura in ſequentibus.

14. *Ratio* III. Si actus debeant ſpecificari ab objectis eo modo, quo volunt Adverſarii. *ſequitur primò* quod ſcientia Viſionis debeat ſubdividi in Deo in ſcientiam Viſionis de objectis futuris, & in ſcientiam Viſionis de objectis actu exiſtentibus, & ſic darentur quatuor in Deo ſcientiæ: imò cum etiam objecta, quæ actu exiſtunt, habeant diverſiſſimum modum exiſtendi, nunc liberè, nunc neceſſariò, nunc ſpiritua-

tualiter, nunc materialiter, deberent innumeræ in Deo â nobis concipi ſcientiæ, quod nemo admittit. *ſequitur ſecundò*, ab objectis materialibus ſpecificari ſcientiam Dei eſſe materialem, ab objectis finitis finitam, quæ omnia ſunt impoſſibilia.

15. RESOLUTIO II. Non datur ſcientia media ſuperiùs num. 8. & 9. explicata.

16. *Ratio* vel objectum ſub conditione futurum erit aliquando vel non? ſi non erit, ut habet exemplum allatum de Tyriis *num.* 8. etiam non eſt poſſibile, quod probatum eſt *num.* 13. adeoque de illo in Deo non eſt ſcientia quaſi de futuris poſſibilibus ſub conditione, ſi autem objectum, aliquando futurum eſt abſolutè, etiam cognoſcit Deus abſolutè: ergo ficta eſt ſcientia media.

17. *Nec dicas*: cognoſci â Deo talia objecta abſolutè pro alio inſtanti poſteriore: contra eſt, hæc prioritas & poſteritas ſignorum â Deo pridem refutata eſt *quæſtione* 4.

18. *Confirmatur* I. Hæc cognitio de futuris ſub conditione impoſſibili: *ſi Lucifer haberet Dei gratiam poſſet ſalutarem agere pœnitentiam:* tantùm competit hominibus imperfectè cognoſcentibus, in Deo autem eſt hæc eminenter æquivalens cognitio: *omnis qui habet gratiam Dei, poteſt ſalutarem agere pœnitentiam*: ergo etiam hæc cognitio conditionalis: *ſi dedero hanc gratiam, convertetur*, ex ſuppoſito quòd daturus ſit, non eſt tanquam imperfecta in Deo, ſed ejus æquivalens eminenter, *cum gratiâ, quam dabo, convertetur*. non igitur locum habet ſcientia media.

19. *Confirm.* II. particula conditionalis *ſi* teneret ſe ex parte Dei, quia cognitio Dei, quæ dicitur ſcientia media, eam exprimit in ſe, & eandem ex modo tendendi continet: igitur in Deo eſſet aliqua ſucceſſio à conditione ad conditionatum in cognitione, quod eſt impoſſibile. proindè omnes propoſitiones compoſitæ, cauſales, conditionales, exponibiles formaliter ſunt tantùm in intellectu imperfecto; in Deo autem ſunt modo eminentiſſimè perfecto & ſimplici.

20. RESOLUTIO III. Deus non videt libera conditionatè futura in Decretis ſubjectivè abſolutis, & objectivè conditionatis.

21. *Ratio* I. ejuſmodi decreta de futuro conditionato, quod nunquam erit abſolutè, ſi quidem, ut ponatur conditio, pendeat â Deo ipſo; ſunt inutilia & illuſoria, qui enim decernit effectum, & non ſimul decernit conditionem poni, ſine quâ effectus non poteſt eſſe futurus, videtur nugari & illudere, ſicut ſi Petrus diceret: cras Paulo centum aureos donabo, ſi â me acceperit meam Syngrapham, quam tamen nunquam ſcribam: atqui conditionem illam, ſub qua convertendi erant Tyrii ſcil. miracula Chriſti illis exhibenda, Deus nunquam decrevit ponendam, ſed potius noluit eam ponere: ergo Decretum de converſione Tyriorum eſſet nugatorium, proinde non datur in Deo, & per conſequens in eo non poteſt â Deo videri converſio Tyriorum ſub conditione futura, deinde quæ nunquam abſolutè futura ſunt, abſolutè ſunt impoſſibilia ùt probatum eſt hîc num. 13.

22. *Confirmatur.* Scientia conditionalis eſſet imperfecta in Deo, uti probatum eſt hic num. 16. & 18. ergo & Decretum ſub conditione tendens in objecta futura.

23. *Ratio* II. Decretum Dei quatenus commune eſt Sanctiſſimæ Triadi, non eſt ſubſtantialis imago: ergo Deus in eo non prævidet objecta.

24. *Dices contra primam Rationem & ejus confirmationem*: *Lib.* 4. *Reg. cap.* 13. Eliſæus nomine Dei dixit ad Joam Regem Iſraël *ſi ſepties percuſſiſſes terram, percuſſiſſes Syriam uſque ad conſummationem:* plures ejuſmodi promiſſiones & comminationes de rebus conditionatè futuris habentur in ſacris literis v. g. *Jonæ* 3. *adhuc* 40. *dies & Ninive ſubvertetur*: ergo Deus internecionem Syriorum, ſubverſionem Ninive ſub conditione futuram vidit in Decreto ſuo ſubjectivè abſoluto, & objectivè conditionato.

Contra eſt I. Eliſæus locutus eſt Joæ modo nobis proprio, hoc eſt imperfecto ad faciliorem Veri-

ta-

tatis figuratæ intelligentiam, ſicuti etiam Deus ipſe locutus eſt, cum omnis caro corrupiſſet viam ſuam dicens, *pœnitet me feciſſe hominem* ad ſignificandam peccatorum gravitatem. ſicuti ergo pænitentia qualem de nobis concipimus, in Deo ipſo non eſt, ita nec illa tendentia conditionalis, ſed eminentiſſimè abſoluta v. g. Decretum de Joâ erat tale: *fidei & fiduciæ in me, quam habebit Joas, commenſurabo victoriam contra Syriam*, quod Decretum, deinde Eliſæus modo nobis proprio & magis intelligibili explicuit per ſenſum conditionalem. Similiter Decretum Dei de everſione Ninive erat in Deo abſolutum: conſervationem Ninive alligo converſioni Ninivitarum. vide etiam num. 18. & 19. hìc.

25. *Contra eſt* II. Si etiam darentur talia Decreta in Deo, in eis tamen non videret libera conditionata futura, quia non eſſent imago repræſentativa objectorum, uti jam dictum eſt hìc num. 23. ex eadem ratione confutati ſunt Scotiſtæ quorum aliqui docent videri futura conditionatè libera in Decreto condeterminante, de quo fuſiùs agetur in *Tractatu III. de Gratia.*

26. RESOLUTIO IV. Deus non videt libera conditionatè futura in ſe ipſis, modo num. 9. & 10. hìc explicato.

27. *Ratio.* non datur poſſibilitas intrinſeca proinde nec futuritio intrinſeca ab æterno exiſtens Objective in mente Dei, quæ ſit quid ullo modo aliud, quàm ipſe Deus, ut probatum eſt *Quæſtione 6, num.* 12. 13. 14. & 15. ergo in eâ non poteſt Deus aliquid prævidere.

28. RESOLUTIO V. Deus ſive tota Trinitas prævidet futura libera in imagine ſubſtantiali Æterna, qui eſt Filius.

29. *Ratio.* Filius eſt juxta catholicam fidem imago æterna & ſubſtantialis Patris, conſequenter perfectiſſima: & propterea omnia cognoſcibilia perfectiſſimè repræſentans: ergo in eâ videt Deus, ſive Ss. Tri-

53

Trinitas omnia cognoſcibilia, proinde etiam omnia objecta liberè futura.

30. *Dices* I. *contra hanc rationem.* ſequeretur quod peccatum Petri in tempore non ſit liberè futurum: quia, quod pendet ab aliquo antecedente infallibiliter cum eo connexo non eſt liberum. . . . *Reſpondeo Diſtinguo ſequelam*: quod pendet ab aliquo antecedente infallibiliter connexo cum eo neceſſario ponendo illud non eſt liberum *Concedo* liberè ponendo *Nego.* Deus videt quidem ab æterno peccatum Petri viſione in ſequentibus explicandâ infallibiliter futurum, ſed ſimul videt Libertatem Petri, ex qua peccatum committetur.

31. *Urges I.* vel ergo Petrus in tempore poteſt omittere peccatum, vel non? Si poteſt, ergo fruſtrare poteſt infallibilem Dei ſcientiam de peccato futuro, quod eſt impoſſibile: vel non poteſt, & tunc peccatum Petri non erit liberè commiſſum, quod eſt abſurdum, *Reſp.* poteſt omittere, ſed non omittet: propterea non poteſt fruſtrare ſcientiam Dei infallibilem: nam Deus, qui præſcivit peccatum Petri infallibiliter futurum, etiam ſimul prævidit, quod liberè illud commiſſurus ſit Petrus, & proinde quod poſſit omittere, non autem ſit omiſſurus, quia non volet omittere.

32. *Urges* II. vel ergo verum eſt, quod ideo Deus prævideat peccatum Petri, quia Petrus illud committet, vel ideo Petrus committet, quia Deus prævidet? *Reſp. neutrum.* non *primum* quod docent Suareſiani, quia habere ſuî cauſam eſt imperfectum: habere ſuî cauſam realiter, eſt imperfectum realiter: habere ſuî cauſam intentionaliter, eſt imperfectionem tribui ab intellectu noſtro, non poteſt autem intellectus noſter Præſcientiæ Dei ſine fictione ullam tribuere imperfectionem, conſequenter nec affirmare de illâ, quod habeat ſuî cauſam intentionalem, quam vocant objectivam illationis, *non ſecundum* quod docent Thomiſtæ, quia aliàs Præſcientia Dei eſſet cauſa peccati, quod eſt impoſſibile.

33. *Dices*

33. *Dices* II. Si Deus in Imagine divina ſubſtantiali prævideat futura libera: ergo etiam peccata hominum: ergo peccatum erit idæatum ab Idæa divina: conſequenter etiam â Bonitate divina, quæ cum idæa Dei eſt eadem: hoc autem eſt impoſſibile: *Reſp.* propriè Deus non ſcit peccata juxta increpationem Chriſti datam Virginibus fatuis, dum dixit: *Neſcio vos.* appellavimus tamen Præſcientiam Dei de peccatis *Quæſt.* 5. *num.* 2. Scientiam non approbativam, ſola autem ſcientia approbativa habet idæam & actum in creaturis, ſicuti Bonitas & cæteræ Dignitates divinæ. Scientia verò non approbativa ſicuti & Bonitas non bonificativa, omnipotentia non poteſtativa (*qui termini quidem de Deo non ſunt proprii, Uſurpamus tamen eos ob defectum verborum propriorum ex penuria grammatices*) non habent idæam aut actum in objecto, non propterea quaſi defectus eſſet in Dignitatibus divinis, ſed quia objectum v. g. peccatum eſt actuum illarum incapax, ſicuti vis liquefactiva ſolis pertranſit gemmas, quin illis imprimat ſuum actum ob incapacitatem objecti. quod amplius & ultimatò hac de re dici poteſt, expedietur in *Tractatu* 4. ubi agetur de peccatis.

34. RESOLUTIO V. Scientia Dei eſt Dignitas divina ſciens omnia, quæ poteſt imago ſubſtantialis Dei repræſentare, ſcientificativa omnium quæcunque Bonitas Dei poteſt bonificare, omnipoteſtas poteſtare &c. &c.

35. *Ratio.* quia prima pars clara eſt ex notione termini, ſecunda probata fuit *Quæſt.* 7. *ſupra.*

ARTICULUS III.

Solvuntur Argumenta â Scholis Lullianæ Doctrinæ contrariis Artic. 1. *adducta.*

36. AD *Rationem* I. *num.* 3. vide ſolutionem hic *num.* 12. & 14.

37. *Ad Rationem. num.* 5. Argumentum ſuppo-

nit *primò* dari poſſibile quod non eſt futurum, hoc autem refutatum fuit hìc *num.* 13. *ſecundò* quod detur futuritio intrinſeca ab æterno tanquam ens quidditativum in mente Dei exiſtens; hoc refutatum invenies *Quæſt. 6. num.* 12. 13. 14. & 15. præterea ſi etiam antecedens Argumenti eſſet verum, falſum foret conſequens, quia ejuſmodi decreta nondum forent Imago divina ſubſtantialis: ergo in illis non poſſunt videri futura libera. denique inutilitas talium Decretorum probata fuit hìc *num.* 21. & 22.

38. *Ad Rationem* I. *num.* 7. Solutio eadem quæ ad rationem I. num. 3.

39. *Ad Rationem* II. *num.* 8. vid. ſolutionem hìc num. 24. Scientia Dei in Deo eſt abſoluta ſic repræſentans futurum *Deut.* 7. revelatum. *Ingreſſus filiorum Iſraël ad alienigenas erit conjunctus cum eorum perverſione* & revelatum *lib.* 2. *Reg. cap.* 23. ſic in æquivalenti & eminenti ſenſu: *fugiturum non tradent.* revelatum *Matth.* 11. *ſic miracula Chriſti habent ſat ſuperque virtutis barbaras quaſcunque gentes convertendi.*

40. Porro dum Chriſtus *Matth.* 11. dixit: *incinere & cilicio pœnitentiam egiſſent*, in græco additur: *fortè* per quam particulam manifeſtum fit, Chriſtum ſe accommodare modo noſtro imperfecto cogitandi & loquendi. . . . ſpecialiter etiam favet ſententiæ Lullianæ *S. Aug. lib. de Prædeſt. Sanctorum cap.* 9. & 15. dum ait clariſſimè: *hoc præſcivit*, *quod futurum erat*, *non*, *quod futurum non erat.* explicationes Adverſariorum ſuper hunc textum ſunt violenter detortæ.

41. *Ad Rationem.* num. 10. eadem eſt ſolutio, quæ ad rationem num. 27. hìc.

QUÆSTIO IX.

De Libertate Dei.

1. STATUS QUÆSTIONIS *eſt* I. an in Deo detur *Libertas contradictionis*, quâ potuerit ante-

tecedenter ſive pro priori rationis omittere, quod modo fecit, aut producere ea quæ ſtatuit in hoc rerum ordine non producere. *Secundò* quæritur, an in Deo ſit *Libertas contrarietatis*; quâ Deus potuiſſet amare objectum, quod nunc odit, aut viciſſim? *Tertio.* an Deus agat etiam liberè ad intrà. *quartò*, quis ſit conceptus eſſentialis libertatis divinæ.

ARTICULUS I.

Reſolutiones ex Scholis Lulliana Doctrinæ contrariis.

2. RESOLUTIO I. ex Scholis Thom. & ſuares. Deus in actionibus ad extra eſt liber libertate contradictionis num. 1. explicata. hæc concluſio (ſi illis credendum) eſt de fide.

3. *Ratio* I. *ex Ss. ſcripturis* : *hæc operatur unus & idem Spiritus, dividens ſingulis, prout vult.* 1. *corinth.* 12. *Potens eſt Deus nos è manibus tuis, ô Rex, liberare* : *quod ſi noluerit, ſtatuam tamen . . . non adoramus. Dan.* 3. *potens eſt Deus, de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ Matth.* 3. ex quibus manifeſtè infertur libertatem contradictionis eſſe in Deo.

4. *Confirm.* Petrus Abaillardus, Thomas Waldenſis, Joannes Wicleff, Lutherus, Martinus Bucerus & Calvin fuerunt ab Eccleſia damnati hæretici, quia pertinaciter negârunt Dei libertatem contradictionis: ergo Doctrina hoc idem aſſerens non eſt Catholica: ergo id aſſerens eſt de fide.

5. *Ratio* II. ab intrinſeco: liberum arbitrium eſt præſtantiſſima perfectio naturæ intellectualis: quæ per illud eſt domina ſuorum actuum, ergo eſſentialiter competit naturæ intellectuali perfectiſſimæ ſcil. Deo.

6. *Ratio* III. ex abſurdis contrariæ ſententiæ, ſi omnia, quæ agit Deus ad extra, ageret ex neceſſitate: ergo nulla debita eſſet laus Miſericordiæ, quam

exercet, nulla gratiarum actio, nulla gratitudo pro beneficiis. ad quid noſtræ petitiones? ad quid fiducia? deprecationes? ſi fatali quadam neceſſitate in nos immitteret bona, perinde ac mala pœnæ.

7. RESOLUTIO II. *ex iiſdem Scholis.* Deus eſt liber libertate contrarietatis in actionibus ad extra.

8. Ratio ex R. P. Henno. Deus amat Magdalenam pœnitentem, quam odiò habuit peccantem: ergo in Deo eſt libertas contrarietatis.

9. *Reſolutio* III. *ex eiſdem Scholis.* Deus non eſt liber agendo ad intra. eſt iterum de fide.

10. *Ratio.* hæc propoſitio: *Deus Pater genuit ſuum Filium & Spiritum S. quia voluit.* eſt Calviniana & damnata ab Eccleſiâ, ergo ad intra Deus non agit libere unde etiam hæc propoſitio: *Pater liberè generat filium*, eſt ab Eccleſia & Ss. PP. rejecta.

11. RESOLUTIO IV. *ex iiſdem Scholis.* Libertas Dei eſt attributum divinum, quo Deus extra ſe omnia producere poteſt, vel omittere, quæ poſſibilia ſunt.

12. *Ratio.* Quia per hunc conceptum perfectio libertatis infinitè, ut debet, extenditur, & maximè opponitur ſibi contrariæ neceſſitati.

ARTICULUS II.

Reſolutiones ex Scholâ Lullianâ.

13. R*Eſolutio* I. in Deo dari non poteſt libertas contradictionis ſupra num. 1. explicata. Hæc doctrina indiſſolubili vinculo connexa eſt cum prima & 2da parte Quæſtionis præliminaris, & ſicut ibi ad calcem partis ſecundæ S. Anſelmus expreſsè Nobiſcum ſentit, ita & in hac materia noſter eſt. Accedit etiam, quamvis ſub aliâ explicatione Aureolus, ùt refert P. Gonet. Tom. 1. ubi agit de Libertate Dei. Porrò Hæc ipſa Doctrina, ſicut & illud principium ab Adverſariis ſugillatum. *Deus plus non poteſt, quam ve-*

velit, jam in libris aliàs impreſſis cenſuratis & approbatis Lucem publicam & diſquiſitionem ſubiit. à Viris item Doctiſſimis in Curia Romana exiſtentibus examinata, approbata & ab omni contraria cenſura immunis rediit. Tenent etiam ſententiam noſtram quoad rem, & ſubſtantiam rei *R. P. Viva*, & apud eum *Ruiz*, *Maurus*, *Eſparza*, *Thyrſus Gonzales aliique Authores*, quamvis Verbotenus contra Nos totis viribus obluctentur. Admittunt enim in Deo ad extra agente *Neceſſitatem moralem*, voluntque in eo ſalvare Libertatem contradictionis phyſicam & metaphyſicam, eo quod Deus tanquam Ens à ſe non indigeat ulla creaturâ, ſed ſit ſibi ipſi ſufficientiſſimus ad exiſtendum feliciſſimè. Certè nullus Lulliſtarum ſomniat Deum neceſſitari ad agendum extra ſe ex indigentiâ, ſed ex infinitis ſuis Perfectionibus, Sapientia, Bonitate, Magnitudine, &c. quæ eſt ipſiſſima Neceſſitas moralis: ſed quia nec phyſicè, nec metaphyſicè Deus abdicare poteſt ſuas Perfectiones in agendo etiam ad extra, hinc eadem in Deo ad extra agente eſt Neceſſitas moralis, phyſica, & metaphyſica.

14. *Ratio Reſolutionis* I. ſicut eſſentia in ſe indifferens ut exiſtat, vel non exiſtat, ſive à parte ante, ſive à parte poſt in deſinendo, involvit imperfectionem, ita eſſentia exiſtens ex modo tendendi indifferens, ut agat vel non agat, etiam involvit imperfectionem: utraque enim æqualiter eſt indifferens *ad eſſe* & nihilum: ſed imperfectio non eſt in Deo, ergo nec libertas contradictionis, quæ imperfectionem involvit. etiam S. Thomas vocat Libertatem contradictionis defectuoſam, & Scotus admittit in Deo agente ad intra, item in Beatis Libertatem quàm vocat eſſentialem & perfectiſſimam.

15. *Ratio* II. quò perfectior eſt natura eò major eſt naturæ ſive naturalis inclinatio ſe communicandi ad extra: ſicuti enim naturalis eſt & inſita naturæ inclinatio tanquam ejus bonum conveniens ſe communicare ad extra: ita perfectiori naturæ perfectior

fectior ad id inclinatio inſita eſt: ergo perfectiſſimæ naturæ inſita eſt ſumma inclinatio ſe communicandi ad extra. Sicut ergo eò minor eſt libertas contradictionis in natura, quo major eſt inclinatio ad unum, ita nulla eſt libertas contradictionis in naturâ, in qua eſt ſumma inclinatio ad unum ſcilicet ut communicet ſe ad extra, atqui in natura divina, quia eſt perfectiſſima, eſt ſumma inclinatio ſe communicandi ad extra, ergo nulla eſt in illa Libertas contradictionis agendi vel non agendi extra ſe.

16. *Confirmatur* in linea morali, quò major eſt Sanctitas, eò minor eſt libertas contradictionis ad omittendum bonum morale, ſic quia Chriſti natura humana per communicationem idiomatum fuit infinitè ſancta, nullam habuit contradictionis libertatem ad omittendum bonum ſimpliciter: ergo etiam in linea boni phyſici quò perfectior eſt natura, eo minorem habet libertatem contradictionis ad non producendum bonum phyſicum qualecunque etiam extra ſe. Igitur natura Divina perfectiſſima nullam habet libertatem contradictionis, ut omittere poſſit creationem boni phyſici.

17. *Ratio* III. ab Immutabilitate Dei; Deus ab æterno habuit decretum producendi eas res, quæ jam in tempore fuerunt, ſunt, & erunt; & hoc Decretum realiter eſt immutabile: ergo (quidquid fingas per mentem priùs Æternitate) ſaltem realiter nil poteſt â Deo omitti, quod per Decretum æternum realiter immutabile decrevit fieri: ergo non datur in Deo Libertas contradictionis aliquid non producendi extra ſe, quod ab æterno immutabiliter ſtatuit producere.

18. *Ratio* IV. Si Deus pro priori rationis (ut ajunt) potuiſſet habere decretum non producendi ullam creaturam, caruiſſet tunc infinità Perfectione, qualis eſt decretum, quale nunc ab æterno habet. & ſic non eſſet omniperfectus, quod eſt impoſſibile. Argumentum aliud proponit *Doctor illuminatus de ſcientiâ*

tiâ Dei Tom. 4. in lib. Quæſt. ſuper lib. ſentent. Petri Lombardi Quæſt. 31. num. 2. bis verbis.

19. „Si fuiſſet poſſibile, quod Deus non præ- „ſciviſſet illum (mundum) antequam eſſet creatus, „fuiſſet ſimpliciter poſſibile, quod eum non præſci- „viſſet per divinam voluntatem, nec per ſuam ſa- „pientiam, Bonitatem, Æternitatem, Poteſtatem, „& Veritatem, quæ Voluntas potuiſſet velle, quod „mundus non eſſet creatus, ſed ſapientia non potuit „ſcire, quod mundus non ſit creatus, poſtquam ſci- „vit, quod voluntas voluit, quod mundus ſit crea- „tus, in cujus velle fuit actus Bonitatis, Magnitu- „dinis &c. quarum actus non eſſent in ipſo velle, ſi „voluntas ab æterno potuiſſet non velle hoc, quod „ſapientia Dei ſciebat eſſe verum ab æterno, ſcilicet „novitatem mundi: & ideo cum divina voluntas & „aliæ rationes Dei ſint in concordantia & omninò „remotæ ab omni contrarietate, ſequitur quod divi- „na Voluntas non potuerit velle, quod divina Sa- „pientia non præſciviſſet hoc, quod præſcivit, cum „ſuum præſcire fuiſſet cum Bonitate, Magnitudine, „Æternitate &c. &c.

20. *Confirmatur* Deus non habet Libertatem contradictionis, quod poſſit nunc velle, & producere aliud, quàm ab æterno producere voluit, ergo nec habet illam libertatem, ut potuiſſet ab æternitate aliud velle, quàm ab æterno voluit: ſicut enim ex primo ſequitur mutatio ita ex ſecundo defectus ſapientiæ, quod non ſciverit optimum objectum & modum optimum objectum producendi.

21. *Reſolutio II.* Non datur in Deo libertas contrarietatis, quod poſſit circa idem objectum ponere actus contrarios, vel non ponere.

22. *Ratio* I. Libertas talis eſſet in Deo (ut habet exemplum hìc num. 7. ab Adverſ. allatum) circa Magdalenam tunc peccatricem, nunc convertentem ſe: ſed circa hæc objecta non datur libertas contrarietatis; quia Deus ab æterno pro tempore *neceſſariò* odio habuit peccatum Magdalenæ, & ejus converſionem, tan-

tanquam bonum, neceſſariò amavit: ergo non liberè libertate contrarietatis.

23. *Ratio* II. Contraria v. g. actus contrarii involvunt manifeſtam imperfectionem; quia id, in quo actus contrariatur actui, vel eſt perfectio, & tunc alter, cui perfectus eſt contrarius, eſt imperfectus: vel eſt imperfectio & tunc alter, cui contrariatur imperfectus, eſt quidem perfectio, ſed ille, qui contriatur, eſt imperfectus: quæ certè in Deo eſſe non poſſunt, conſequenter nec libertas actuum contrariorum in Deo eſſe poteſt.

24. RESOLUTIO III. Deus liberè agit ad intra, hoc eſt: Pater liberè producit Filium, ex Patre & Filio libere procedit Spirt. S. hanc ſententiam etiam tenent Scotiſtæ apud R. P. Henno Tract. de Deo Trino Quæſt. 6. Concluſ. 3. Probat 2.

25. *Ratio* I. Neceſſitas & Libertas agendi ſunt Dignitates divinæ: ergo tum ad intra, tum ad extra agunt *in Deo* æqualiter, uti affatim probatum eſt Quæſt. 5.; & patet inde, quia aliàs illa Dignitas, quæ inæqualiter agit vel ad intra, vel ad extra, eſſet alterâ aut infinitè perfectior aut infinitè imperfectior, quod eſt impoſſibile. Unde, ſicut adverſarii admittunt hanc propoſitionem tanquam veram: *Deus ad extra neceſſariò liberè agit,* ita Nos è converſo hanc. *Deus ad extra liberè neceſſariò agit*, nec ulla eſt in hoc diſparitas; eodem enim modo defendimus has propoſitiones, *Deus ad intra agit liberè neceſſariò* ac iſtam: *Deus ad extra agit neceſſariò liberè.*

26. *Ratio* II. Libertas Dei exhactenus dictis & probatis non eſt libertas contradictionis aut contrarietatis: igitur tantùm eſt libertas â coactione, quòd non poſſit Deus eſſe in ſervitute & cogi â ſuperiore ad agendum. Sed de fide eſt, quod Deus agendo ad intra non poſſit cogi â ſuperiore ſe, cum nullum habere poſſit ſuî ſuperiorem, ergo de fide eſt, quod Deus liberè agat ad intra.

27. RESOLUTIO IV. Libertas Dei eſt Dignitas Divina, quâ Deus â nullo ſuperiore coactus liber-

rimè

rimè agit tum ad extra tum ad intra ea omnia, quæ Omnipotentia poteſt, Sapientia ſcit, Voluntas vult &c. &c. Ratio patet ex dictis, hìc & in aliis Quæſtionibus.

ARTICULUS III.

Solvuntur Argumenta à Scholis Doctrinæ Lullianæ contrariis adducta artic. I.

28. AD RESOLUTIONEM I. *num.* 2. mirum eſt & inexcuſabile; quòd quàm plures, ex viris, qui in reſolvendis atque explicandis Quæſtionibus Theologicis conſenuerunt, videantur nihilominùs ignorare velle, quænam Hæreticorum propoſitiones, & quo ſenſu ab Eccleſia orthodoxâ confixæ ſint. Clamant præpoperè: *dari libertatem contradictionis in Deo, de fide eſt. Contrarium docuerunt Petrus Abaillardus, Luther, Bucer, Calvinus omnes ab Eccleſia damnati hæretici.* Certè (ſit venia verbo) neſciunt quid dicunt aut faciunt; Non dari in Deo Libertatem contradictionis docuit B. Raymundus Lullus Doctor Illuminatus ad ſupremum uſque verborum apicem Zeloſiſsimus Catholicus, cui, quia jam antea Eimericus quidam hæreſeos labem inurere attentavit, ejusque libri, vel decerpta ex illis paſsim oculis Doctorum de rei veritate non informatorum facilè non occurrant, hinc in Præfatione vindicias ejus breviter collegimus. Nunc

29. *Ad Rationem* I. *num.* 3. *& ad textus S. Scripturæ. Ad primum* diſtribuit bona ſicut vult convertibiliter cum Poteſtate *concedo* quòd aliud dicatur de Voluntate, quàm de Poteſtate *nego* ſicut Deus vult diſtribuere, ſic Sapientia ſcit eſſe perfectiſsimum, ergo omiſsio hujus perfectiſsimi non eſſet perfectiſsima. *Ad ſecundum.* Hoc non dixit Deus, ſed Sidrach, Miſſach & Abdenago. Hic autem eſt illius dicti verus ſenſus: *potens eſt Deus nos liberare Poteſtate non majore, quàm Sapientiâ & Voluntate, ſi ergo Sapientia ſciat,*

ſciat, quod Voluntas velit, etiam Poteſtas nos poteſt liberare, & tunc nihil nobis nocere poteris, ſi Sapientia ſciat, quod Voluntas nolit, & Poteſtas non poſſit, quia nihil poteſt contra Sapientiam & Voluntatem, ſtatuam tamen tuam non adorabimus. Ad tertium locutio Chriſti de lapidibus & filiis Abrahæ eſt figurata, & habet hunc ſenſum: *Poteſtas patris mei eſt tam efficax ut æque gentiles quàm Judæos acceptantes gratias convertere poſſit ad veram fidem,* ſic colligitur ex contextu: ergo manifeſtè infertur, quod per hos textus nihil probetur pro libertate contradictionis in Deo agente ad extra.

30 *Ad confirmationem.* Hæc objectio eſt ex imperfectiſsimæ libertatis abuſu contra Doctrinam Lullianam detorta. Illi hæretici ſunt damnati meritiſſimo ab Eccleſia orthodoxâ, qui negarunt libertatem Deo perfectiſsimam â coactione, quæ ſemper neceſſariò inclinat ad bonum & optimum, & admiſerunt in Deo inclinationem neceſſariam æqualiter ad malum. Sic ſonant Calvini propoſitiones damnatæ ſequentes: *homines ſolo & nudo Dei arbitrio citra proprium meritum in æternam mortem prædeſtinantur. Deus aliquos creavit, ut peccarent, & æternum damnmrentur. Deus eſt author peccati & quidem omnis peccati.* Hanc impiam Doctrinam, quæ facit Dei libertatem neceſſariò inclinare in malum ſuis locis etiam ex principiis Lullianis demonſtrativè refutabimus. Item dum Arii propoſitio damnata eſt, quòd filius Divinus liberè ſit genitus, Arius intellexit libertatem imperfectam contradictionis, quam etiam aliæ Scholæ affingunt Deo, non autem intellexit Libertatem à ſolâ coactione, quam in Deo dari nos aſſerimus.

31. *Ad rationem* II. Vide ſolutionem num. 14. hic.

32. *Ad Rationem* III. An fortè gloria Deo Patri, quam habet, non eſt neceſſaria, quia Eccleſia per Os Sacerdotis in Miſsâ canit: *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam Deus Pater omnipotens?* meritò humillimas agimus Deo gratias pro donis

nis nobis collatis, quia ea non confert coactè, ſed liberè, largè & neceſſariò ſimul. Sed ad quid fiducia noſtra, noſtræ preces, ſi Deus neceſſariò agat ad extra? reſpondeant priùs Adverſarii, cùm etiam Deus realiter non poſſit amplius mutare decretum de donis largiendis vel non, ad quid preces noſtræ? nimirum quia non ſcimus,an non Deus prævideriт has preces noſtras eſſe illas,quibus affixit largitionem donorum, ideò meritò & prudenter precamur. Quod dicitur de fatali neceſſitate in Deo circa nos,indignum eſt reſponſo,cum ex ore blaſphemo profluxerit. Pro confirmatione vide etiam *R. P. Viva in Curſu Theologiæ P. VI. De Incarnatione Verbi Diſp.* 1. *Q.* 2. *Art.* 3. *n.* 7.

33. *Ad Rationem.* Num. 8. Vide num. 22. & 23. hìc.

34. *Ad Rationem.* Num. 10. Libertate contradictionis imperfectâ, de quo loquuntur *Concedo* perfectiſſima â ſola coactione, de quâ non loquuntur. *Nego.*

35. *Ad Rationem* num. 12. Patet ex dictis nullam eſſe.

36. *Collige* I. Deus agendo ad intra agit modo perfectiſſimo, quod omnes concedunt. Cùm ergo agendo ad intra *tantùm* habeat libertatem â coactione, & libertatem contradictionis vel indifferentiæ habere non poſsit, ſequitur manifeſtè, illam eſſe libertatem perfectiſsimam, hanc autem creaturis competentem imperfectione non carere: igitur, ſi Deus agendo ad extra uteretur libertate contradictionis, *in ſe* haberet modum agendi diverſum â modo agendi ad intra *perfectiſſimo*, quod autem diverſum eſt â perfectiſsimo, minus perfectum eſt, & hac ratione Deus agendo ad extra haberet modum agendi minus perfectum *in ſe*, quàm agendo ad intra, quod implicat.

37. *Collige* II. Ex hac Sententia noſtra etiam ſequitur, quod Deus debuerit permittere, & non potuerit impedire peccata: quod ipſum etiam admittit *P. Viva, Maurus*, aliique, qui citant deſuper *S. Anſelmum in Elucidatione* ita differentem: *ſicut Pictor*

nigrum colorem ſubſternit ut albus vel ruber pretioſior ſit, ſic collatione malorum juſti clariores fiunt. Quin ipſe *D. Thomas. P.* 1. *Q.* 48. *a.* 3. ait: *Deus eſt adeò potens, quod etiam benè poteſt facere de malis: unde multa bona tollerentur, ſi Deus nullum malum permitteret; neque enim laudaretur juſtitia vindicans, & patientia ſufferens, niſi eſſet iniquitas.* Hinc multi apud *Maurum Q.* 33. De Deo docent, D. Thomam ſeniorem & doctiorem factum retractaſſe in Summa, quæ junior in Sententiis docuerat; uti & illud retractavit *I. Sentent. D.* 46. *a.* 1. *Si nullus homo peccaſſet, univerſum genus humanum perfectius foret.* Et ſane *magis* Deo gratias agit Juſtus, dum videt aliorum lapſum, quam ſi non videret. Et in patria lætabitur juſtus cum viderit vindictam, *ut dicitur Pſal.* 57. qua lætitia careret, ſi non videret vindictam.

QUÆSTIO X.

De Providentia Dei tum generali, tum ſpeciali, quæ dicitur Prædeſtinatio.

1. STATUS QUÆSTIONIS *eſt primo*, cum longè plures homines damnentur, quàm ſalvi fiant, juxta illud Chriſti *multi ſunt vocati, pauci vero electi:* Utrum Deus habeat veram ac ſinceram Voluntatem ſalvandi omnes. *Secundò* an Deus ex purâ gratuitâ Liberalitate & Amore gratuito erga aliquos, cæteris neglectis, decreverit Gloriam inſtanti priori, quàm decreverit iisdem gratias efficaces tanquam media infallibilia ad gloriam jam ante Decretam. *Tertiò* an verò Merita priùs prævisa ſint cauſa prædeſtinationis poſtea â Deo factæ ob illa merita. *Quartò* an Prædeſtinatio fiat unico non tantùm realiter, ſed etiam formaliter indiviſibili Decreto, ideoque nullam, nequi-

nequidem rationis prioritatem & poſterioritatem admittendam eſſe.

ARTICULUS I.

§. I.

An Deus habeat ſinceram Voluntatem omnes ſalvandi.

2. RESOLUTIO *ex omnibus quatuor ſcholis orthodoxis.* Deus habet veram, & ſinceram Voluntatem ſalvandi omnes, hæc concluſio eſt de fide.

3. *Ratio* I. *Ex S. Script.* 1. *Jo.* 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantùm ſed pro totius mundi.* 1. *Tim.* 2. *v.* 4. *Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* 2. *Pet.* 3. *nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.* 1. *ad Tim.* 4. *qui eſt Salvator omnium maximè fidelium,* in quem locum *S. Proſper de vocatione gentium cap.* 10. ait: „ Eſt Salvator omnium quia dat omnibus, unde „ ſalvari poſsint, ſed maximè fidelium, quia dat illis „ non ſolùm ut ſalvari poſsint, ſed etiam ut ſalventur.

4. *Confirmatur* damnata eſt hæc quinta inter Janſenianas propoſitiones: *Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe,* ergo noſtra oppoſita eſt de fide.

5. *Ratio* II. Quâ ex principiis Lullianis etiam gentilibus hæc Chriſtiana veritas independenter à ſacris literis demonſtratur. Voluntas Dei vult neceſſariò id, quod ſapientia ſcit eſſe in creaturis omnibus in majoritate finis amabile: ſi enim Voluntas Dei hoc non vellet neceſſariò, poſſet carere infinita Perfectione qualis eſt hæc, *neceſſariò velle id quod eſt in majoritate finis amabile,* quod eſt impoſſibile: ſed Sapientia divina ſcit Deum Trinum eſſe ab omnibus creaturis *Beatis* in majoritate finis amabilem: cum amari â creaturis non beatis per amorem non fruitivum ſit in minoritate finis: ergo voluntas Dei neceſſariò vult

Deum Trinum ab omnibus creaturis beatis amari? ergo vult omnes beatos & ſalvos fieri.

6. *Dices* I. *cum hæreticis contra primam Rationem*, Opponendo alios Sacræ Script. textus. *Primò* variis in locis dicitur Deus obdurare peccatores, ne convertantur; occæcare, ne videant bona: ergo his non vult dare gratiam ad ſalutem neceſſariam, proinde non vult eos ſalvari. *Secundò Math.* 26. dicit Chriſtus: *hic eſt ſanguis novi teſtamenti, qui pro multis effundetur*. Ergo non pro omnibus: ergo non vult omnes ſalvos fieri. *Tertiò Joannis* 17. Chriſtus oravit non pro mundo reprobo: ſed pro electis: ergo hos ſolos vult ſalvos. *Quartò Actor.* 13. crediderunt quotquot præordinati erant ad vitam æternam, atqui non omnes crediderunt, nec credunt: ergo non omnes præordinati erant aut ſunt ad vitam æternam. Cætera afferentur in Tract. 4. de Gratiá, ubi agetur, an Deus omnibus dederit ſufficientia ad ſalutem gratiarum auxilia.

7. *Confirmatur* I. ex conciliis, Concilium Cariſiacum ſub Venilone Epiſcopo Sennonenſi & Hincmaro Rhemenſi anno 849. habitum contra Godeſchalcum Monachum Corbaienſem, quatuor condiderat capitula, inter quæ erat hoc tertium, quo concilium definivit, Deum velle omnes ſalvos fieri & hoc quartum: quod Chriſtus ſanguinem fuderit pro omnibus. Anno autem Chriſti 855. celebratum eſt concilium Valentinum, in quo rejecta ſunt duo illa capitula â concilio Cariſiaco ſancita, & hæc rejectio poſtea anno 859. approbata eſt â Concilio Lingonienſi, ergo contrarium eſt de fide, quod Deus non velit omnes homines ſalvos fieri. *Secundò* ex SS. PP. qui etiam contrarium docent *S. Aug. in Enchirid. cap.* 13. & lib. *de natura & gratia cap.* 41. Ly *omnes* non accipit abſolutè pro ſingulis Generum ſive omnibus individuis humanis, ſed accommodè pro generibus ſingulorum, hoc eſt: ex quolibet hominum Genere, Sexu, conditione Deum aliquos velle ſalvos. Item *Epiſt. ad Evod.* 102. ait: *non perit unus ex illis, pro*

qui-

quibus Chriſtus eſt mortuus: ſi multi pereunt ergo non eſt pro omnibus mortuus: ergo nec omnes vult ſeriò ſalvos. Item *Tract.* 100. *in Joannem* docet, Chriſtum non orâſſe pro omnibus: ergo &c. &c.

8. *Reſp. ad objectionem*, & quidem *ad primum S. Script. textum.* Obdurat non per ſe, ſed per pravam diſpoſitionem ſubjecti, uti Sol indurat lutum, non autem ceram, quam utpote aliter diſpoſitam liquefacit. Item obdurat non poſitivè, ſed negativè, non concedendo gratias ſpeciales diſſolventes duritiem, quam antea contemnendo gratias ordinarias contraxerunt; ita etiam occœcat poſitivè *Nego* negativè diſponendo monitiones, quas ſpernendo ſe ipſos lumine ſupernaturali privant peccatores *Concedo ad ſecundum Reſpondeo*: *ly multi* ſumitur in ſacris literis ſæpe pro omnibus *ſic Rom.* 5. *unius delicto multi mortui ſunt. Dan* 12. multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt. *Matth.* 10. *multis paſſeribus meliores eſtis vos.* Sic etiam in loco citato ſumitur. *Ad tertium* ibi Chriſtus oravit ſpecialiter pro ſolis Apoſtolis: ſi Argumentum valeret, ſoli Apoſtoli eſſent electi. Cæterum *Lucæ* 23. oravit pro ſuis crucifixoribus, licet ſciret eos damnandos, ut nimirum oſtenderet non ſuâ voluntate & intentione, ſed propriâ culpâ damnari. *Ad quartum.* Quotquot præordinati erant ſpecialiter cum prævifione meritorum & gloriæ *Concedo* generaliter *Nego.* Porro Voluntas ſalvandi omnes generaliter non conſiſtit in eo, quod in Deo detur quædam abſtracta & generica voluntas ſalvandi omnes, *ſed quod omnibus det ſufficientia ad æternam ſalutem gratiæ auxilia*, quæ conceſſio certè connexa eſſe debet cum ſeriâ Voluntate omnes ſalvandi.

9. *Ad confirmationem* I. Reſp. neg. 2. partem: *Concilium Valentinum* non rejecit illa capitula in Concilio Cariſiaco verè ſtatuta, ſed PP. in Concilio Valentino errârunt in quæſtione ſolius facti, putantes Hincmarum in Concilio Cariſiaco propugnâſſe, quod Chriſtus mortuus ſit pro ſalute non tantùm omnium hominum, qui in hoc mundo fuerunt, ſunt & erunt

viatores, ſed etiam pro ſalute omnium dæmonum, & jam damnatorum, quaſi verò hi per merita Chriſti poſſint aliquando ex inferno liberari. Quem tamen errorem ſibi affictum poſtea *Hincmarus* graviter conqueritur in lib. de Prædeſt. â ſe Scripto cap. 22.

Ad ſecundam. S. Auguſtinus agit ibi de prædeſtinatione ſpeciali electorum, & ſic utique non oravit pro omnibus, cùm non omnes, ex propria tamen culpâ, ſint electi.

10. *Dices* cum gentilibus contra rationem ex principiis Lullianis petitam, hìc numero 5. *retorquendo*; ergo etiam omnes vult efficaciter ſalvos fieri, & ſic nemo periret. *Contra eſt.* Argumentum pro retorſione eſt contra alias dignitates Dei, contra Libertatem, cujus idæam creaturæ rationali pro merendo & demerendo debet imprimere (non enim accipere poteſt Libertatem Dei perfectiſſimam â ſolâ coactione, ſed accipit libertatem indifferentiæ pro merendo & demerendo) & contra divinam Juſtitiam, quæ demeritum ex libertate creatâ profectum debet punire.

11. *Urges* I. dicunt Catholici Matrem Chriſti habuiſſe Libertatem indifferentiæ, & tamen â Deo ſic præventam eſſe gratiis, ut moraliter loquendo non potuerit peccare, ſicuti etiam nunquam peccavit. Cur ergo Deus non potuit omnes homines ita creare? *contra eſt.* Sicuti non omnes potuit efficere Matres Chriſti; ita nec omnes ſimilibus cumulare privilegiis: fuiſſet enim id contra Juſtitiam & Sapientiam Dei. Juſtitia diſtribuit dona ſecundùm prædeſtinata officia, & ſapientia illa officia ordinat.

12. *Urges II.* Cur ergo Deus relictâ hominibus Libertate ad bonum & malum, non dat omnibus finalem gratiam, & ita omnes ſalvat, ſic etiam Deus foret in majoritate finis. *Reſponſio* error objicientium in eo perpetuò verſatur, quod ſumant unam Dei dignitatem pro actione reali ſine aliâ, cum tamen, ut ex dictis patet, ſemper debeant ſumi in circulo convertibilitatis. Argumentum igitur Adverſariorum peccat contra divinam Juſtitiam & Sapientiam:

ſcit

ſcit enim divina Sapientia ſummè & maximè, conſequenter neceſſariò convenire divinæ Juſtitiæ, ut gratiam finalem illis non tribuat, qui per totam vitam peccando dona cœleſtia & gratias ſupernaturales ſpreverunt. Quod autem objicitur de latrone in fine vitæ per ſpecialem gratiam pœnitente, pertinet ad *Tract.* 3. *de Gratiâ*, ubi id expedietur. Denique probatum eſt, quod Deus ſit, quòd ejus Decreta æterna realiter ſint immutabilia, quòd autem Deus ab æterno decreverit & voluerit non omnes homines efficaciter cum læſione libertatis illius, quam nunc habemus, ſalvare, patet aliunde, & probabitur demonſtrativè in Tract. 4. dari infernum: igitur cum Deus non voluerit dicto modo ſalvare omnes, etiam non potuit: Poteſtas enim & Voluntas in Deo ſunt idem, ubi vides neceſſariam cohærentiam principiorum ex ſcholâ Lullianâ.

§. II.

An Deus ante vel poſt præviſa merita homines prædeſtinet ad gloriam.

Reſolutiones hujus Quæſtionis ex Scholis Lullianæ Doctrinæ adverſantibus.

13. RESOLUTIO I, *ex Scholâ Thomiſticâ.* Prædeſtinatio ad gloriam ſit antecedenter, & independenter â præviſis determinatis mediis & meritis abſolutè futuris: ſive Decretum Dei conferendi his hominibus gloriam pro tempore, eſt ratione prius, quàm aliud decretum conferendi iiſdem hominibus gratias tanquam media neceſſaria ad prædeſtinatam jam antea gloriam obtinendam.

14. *Ratio* Ex ſcriptura *ad Rom.* 6. *Vita æterna* vocatur *gratia*: ergo gratuito decernitur. *Secundò. Joannis* 15. dicit Chriſtus: *non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos.* *Tertiò. S. Paulus ad Titum ait*: *non ex operibus, quæ fecimus nos, ſed ſecundum miſericordiam*

ſuam ſalvos nos fecit. *Quartò. ad Epheſ.* 1. *v.* 4. *dicitur: elegit nos in ipſo ante conſtitutionem mundi, ut eſſemus Sancti.*

15. *Confirmatur S. Auguſtinus lib. de Prædeſt. cap.* 18. ait: Pelagius docuit homines â Deo eligi, quia præſciebat, qui futuri eſſent ſancti & immaculati: ergo ex oppoſito S. Auguſtinus docuit: homines non eligi propter ſanctitatem & merita.

16. *Ratio* II. Qui ordinatè agit, priùs vult finem quàm media ad finem: atqui Deus agit ordinatiſſimè, ergo priùs vult finem ſcilicet gloriam noſtram, qūam media, quæ ſunt gratiæ.

17. RESOLUTIO II. *Ex Scholâ Suareſiana.* Deus ratione priùs decernit hominibus dare gratias, quas antea jam prævidit bene applicandas, quàm iisdem per Decretum ratione poſterius decernat gloriam.

18. *Ratio* I. Ex ſcriptura 1. *ad Cor.* 9. Beatitudo tanquam Corona proponitur viatoribus: *ſic currite ut comprehendatis.* Atqui Corona datur propter legitimum certamen prius; ergo Prædeſtinatio ad Beatitudinem eſt poſterior prævifis meritis ex certamine collectis. *Secundò Matth.* 20. indicatur, quod Deus reſpectu Beatitudinis nobis deſtinatæ habeat ſe ùt paterfamilias conducens operarios in vineam, nemini autem *abſolutè* decernitur merces, niſi abſolutè ſciatur, quod operam ſuam præſtiterit: ergo hæc Scientia præcedit.

19. *Confirmatur.* Ex Ss. PP. *S. Auguſtinus ſermone* 7. *de Verbo Domini* ait: *quos voluit Deus, hos elegit, elegit autem, ſicut dixit Apoſtolus, & ſecundùm gratiam, & ſecundùm illorum Juſtitiam*; quibus verbis poſtea ſubjungit: Ego illos elegi, quia vidi mentes illorum de me bene præſumentes, non de ſe; ergò manifeſtè docet S. Pater merita abſolutè præviſa eſſe cauſam Prædeſtinationis.

20. *Ratio* II. Ipſa actualis retributio gloriæ fit propter merita tanquam priora: ergo etiam efficax præparatio & prædeſtinatio æterna ad gloriam eſt pro-

propter merita abſolutè prævifa tanquam à priori. *Prob. con.* ex hoc, quod Deus primam gratiam non det propter ullum meritum, nec poſſimus eam mereri, bene inferimus, quod Deus ab æterno decreverit non propter merita ſed omninò gratis eam dare; ergo, cum ex ſcript. pateat, quod gloriam poſſimus mereri, & eam in executione det propter merita, bene inferimus, quod ab æterno non aliter decreverit dare gloriam, niſi propter merita.

ARTICULUS II.

Reſolutiones ejusdem Quæſtionis ex Scholâ Lullianâ.

21. RESOLUTIO I. Deus non habet duo Decreta, quorum uno priore ab æterno decernat certis hominibus dare gloriam ante prævifa merita pro tempore ponenda, & poſteriore decernat modò gratias neceſſarias dare.

22. *Ratio* I. Ex primo ſequeretur, Deum ſine prævifis demeritis, reliquos homines omnes, quibus non decernit gloriam, addicere ſaltem æquivalenter poſitivè æternis flammis: faceret enim, ac princeps, qui ex communitate quinquaginta hominum efficaciter abſolutè decernit perſonas tantùm decem â ſe deſtinatas & non plures admittere ad convivium, & ſtante hac voluntate abſolutè efficaci cum illis tantùm decem convivandi, nihilominus omnes & ſingulos quinquaginta invitaret: certè ſi feriam talis diceret invitationem ſuam factam 40. non deſtinatis nec admittendis ad convivium, luderet, & nugari videretur: ſimile quid ſequeretur ex eo Decreto priore abſolutè efficaci de gloriâ certis hominibus decernenda ſine prævifis meritis, & de decreto excludendi alios â gloriâ ſine prævifis demeritis, quæ in Deum cadere non poſſunt.

23. *Ratio* II. Omnis prioritas etiam rationis, quæ

aſſeritur de Dignitatibus Dei, aut earum actibus eſt ficta, & Deo inconveniens, ut probatum eſt *Quæſt.* 8. *num.* 32.

24. *Dices contra rationem* I. Etiam Deus certò prævidit æternaliter, quòd parvus hominum numerus ſit ſalvandus, & tamen invitat omnes ad ſalutem, quin hæc invitatio ſit nugatoria: ergo Argumentum non valet, *contra eſt primò:* Deus quidem videt ab æterno certiſſimè paucos ſalvandos, ſed non in decreto abſolute efficaci de paucis ſalvandis ſuam Scientiam præcedente, ſed ſimùl videt demerita plurimorum, propter quæ in tempore & maximè finaliter liberè ponenda, etiam in tempore plurimos damnandos prævidet. Dum ergo invitat omnes ad ſalutem, invitat ſimul, ut libertate ſibi conceſſa (quod poſſunt, etſi facturi non ſunt) non abutantur: propter abuſum enim finalem libertatis ſecutura eſt damnatio. Qui procedendi modus eſt conformis divinæ Sapientiæ.

25. *Contra eſt ſecundò.* Cum Decreto Thomiſtico Deus non videt merita electorum, nec demerita reproborum: ergo, cum illud decretum ſit antecedens & efficax, videtur ſequi durum illud Catholicis auribus, quòd quidquid faciemus, implendum tamen & executioni dandum eſſe illud decretum abſolutè efficax antecedens prævisionem meritorum & demeritorum.

26. RESOLUTIO II. Non ſunt de Prædeſtinatione ponenda aliqua inſtantia rationis in Deo: quaſi in primo inſtanti (cur non etiam dicunt in prima conferentia & prima ſeſſione) videret Deus merita noſtra conditionatè futura ſi detur certa gratia; in ſecundo deinde decerneret nobis illam gratiam, ex cujus bono uſu præviderat merita noſtra futura, & denique in tertio inſtanti modò decerneret gloriam propter merita abſolutè præviſa.

27. *Ratio.* In- & de Deo quoties mens noſtra fingit aliquid priùs & poſteriùs, ſemper affingit Deo imperfectionem, ut dictum eſt hìc num. 23. & probatum *Quæſtione* 8. *num.* 32. quod eſt abſurdum.

28. RESOLUTIO III. Prædeſtinatio Electorum fit ab æterno ſimul ad gratiam finalem & ad gloriam, ſimul prævisâ hominum cooperatione cum gratiâ maximè finali, & quidem fit unico non tantùm realiter, ſed etiam intentionaliter indiviſibili decreto, adeoque nulla nequidem rationis prioritas aut poſterioritas inter præparationem gratiarum & meritorum tanquam mediorum, & inter electionem ad gloriam tanquam finem admitti poteſt. Hanc ſententiam Lullianam etiam amplectuntur quidam aliarum Scholarum Authores S. J. Arrubal, Granado, Maurus, Eſparza &c. &c.

29. *Ratio.* Sicut cognitio Dei eſt comprehenſiva, ut omnia ſimul & ſemel cognoſcat cognoſcibilia, ita & ejus Decretum omnia ſimul & ſemel decernit: alioquin de Deo fingeretur aliquod prius & poſterius, quod impoſſibile eſt, ut ſæpius diximus.

ARTICULUS III.

Solvuntur Argumenta Scholarum Lullianæ Doctrinæ contrariarum ſupra Articulo I. §. 2. allata.

30. AD *Rationem* I. *num.* 14. Vita æterna vocatur gratia: ergo gratuito decernitur. Quid ſequitur inde? an non etiam juſtè decernitur, an non ſimul ſapienter? non igitur ſequitur, quod decernat Deus ante dare gloriam quàm gratiam, & quàm prævideat merita. Si reducendi eſſent Adverſarii ad circulum convertibilitatis attributorum divinorum, non moverentur tot leves objectiones. *Secundò* quod infertur legitimè ex eo, quod Deus elegerit nos, eſt hoc unicum, ſalutem noſtram non eſſe ex nobis, qui purè ex nobis nihil ſalutare agere poſſumus, ſed eſſe ex gratiâ Dei; impertinens ergo eſt objectio ad iſtam de Prædeſtinatione materiam. *Tertiò* non ex operibus legis veteris, quæ vocantur ab Apoſtolo vacua ele-

elementa, ſed ex operibus dignificatis gratia meritisque Dei-Hominis operamur ſalutem noſtram. *Quartò* ſequitur ex textu, quod Prædeſtinatio, quam vocat B. Lullus *antiquam ſive æternam*, ſit prior meritis noſtris, non autem quam vocat *novam* in tempore, hæc enim ſequitur merita. Hâc diſtinctione omnia Adverſariorum ſolvuntur Argumenta, quæ â prioritate & poſterioritate petita ſunt; de Deo enim æternaliter decernente & vidente nihil priùs aut poſteriùs fingi poteſt.

31. Juvat audire ipſiusmet illuminati Doctoris verba *Tom.* 4. *in lib. quæſt. ſuper lib. ſent. Petri Lombardi. quæſt.* 33. *&* 34. ubi dum quærit; *utrum præſcientia meritorum ſit cauſa vel ratio prædeſtinationis ſalvandorum, vel utrum detur aliqua alia cauſa.*

Reſpondet: *diſtinguatur inter prædeſtinationem & prædeſtinationem, ſecundùm quod ſupra diximus* (quæſt. proximè præcedente) *videlicet quod præſcientia meritorum ſit cauſa* novæ *Prædeſtinationis, tamen cum Juvamine præſcientiæ, quæ eſt Deus, ſcilicet mediante gratiâ Dei, ſine quâ nullus homo poteſt eſſe prædeſtinatus nec electus ad ſalvationem, cum merita: quæ ſunt finita* (fiunt tamen ex meritis Chriſti infinitis infinito præmio digna) *non ſufficiunt ad acquirendam æternam Beatitudinem, datam per gratiam, & Juſtitiam ratione meritorum.*

32. *Ad confirmationem num.* 15. *Reſp.* 1. Neutrum ſequitur: particula cauſalis *quia* in & de Deo locum non habet, uti ſæpius dictum eſt, & *Quæſt.* 8. *num.* 32. probavimus. *Secundò S. Auguſtinus* egit contra Pelagium, qui dicebat merita noſtra præviſa naturalia, vel conditionate præviſa eſſe cauſam Prædeſtinationis, quod utique falſum eſt, ſed oppoſitum â Thomiſtis pro ſe allatum huc non quadrat.

33. *Ad Rationem* II. *num.* 16. hoc procedit in creaturis, ubi eſt ſucceſſio, prius & poſterius: in Deo locum â Thomiſtis quæſitum non invenit.

34. *Ad Rationem* I. *num.* 18. Solutio eſt, ſi diſtin-

ſtinguatur inter Prædeſtinationem antiquam ab æterno decretam, & inter novam pro tempore exequendam.

35. *Ad confirmationem num.* 19. eadem ſolutio.

36. *Ad Rationem* II. *num.* 20. *Nego conſeq.* actualis retribuitio gloriæ in tempore, & merces ſequens prævia merita ſunt ambo in tempore, ubi datur prioritas, non autem in- & de Deo, in quo prædeſtinatio antiqua eſt; merita præviſa in Idæa divina ſunt idem Deus. Ad *probationem ſolutio eſt eadem.* Si diſtinguamus inter gratiam & merita nova pro tempore, ubi datur prioritas & poſterioritas, quæ non datur de gratia prima æternaliter præviſa & meritis eodem modo præviſis. De Reprobatione, cùm Schola Lulliana & Suareſiana eodem docendi modo procedant ac de prædeſtinatione, ſententia verò Thomiſtarum docentium malos â Deo antecedenti & efficaci Decreto ſine præviſis demeritis negativè deſtinari æternis flammis hìc jam refutata ſit *num* 24. non viſum eſt operæ pretium, ſpeciali Quæſtione fuſiùs hac de materiâ tractare. Unde ad ſecundam Partem & Quæſtiones de ſanctiſſimâ Trinitate reſolvendas gradum facimus.

TRA-

TRACTATUS I.
PARS II.
DE
SANCTISSIMA TRINITATE
QUÆSTIO I.

An evidenter demonſtrari poſſit dari verè realiter Sanctiſſimam & divinam Trinitatem?

1. STATUS QUÆSTIONIS *eſt:* cùm Sanctiſſima & divina Trinitas fermè ab omnibus Viatoribus habeatur velut ineffabiſe & inſcrutabile Myſterium, Quæritur an *primo* hoc Myſterium ſit contra Rationem noſtram naturalem. *Secundò* quæritur an ita ſit ſupra noſtram rationem, ut naturali lumine non poſſit evidenter demonſtrari Intellectui, qui priùs acquiſitâ fide quaſi conditionali *Parte primâ. Quæſt.* 1. *num.* 8. explicata depoſuit pertinaciam & obſtinationem.

ARTICULUS I.

Reſolutiones ex Scholis Doctrinæ Lullianæ contrariis.

2. RESOLUTIO I. *omnibus Scholis orthodoxis communis.* Myſterium divinæ Triados non eſt contra rationem noſtram naturalem.

3.

3. *Ratio.* Nulla Veritas poteſt eſſe contra ſanæ rationis lumen naturale, aliàs ſana ratio â Deo ad Veritates cognoſcendas nobis conceſſa ex naturâ ſuâ nos deciperet, quod eſt impoſſibile: Myſterium verò divinæ Triádos eſt Veritas neceſſaria, â Deo revelata, per Eccleſiam declarata: ergo non eſt contra lumen naturæ rationalis.

4. *Dices.* quot ſuppoſita cognoſcimus ex lumine naturali, tot naturas inferimus: ergo cum hoc in Divinâ Trinitate non ſit, hæc eſt contra lumen naturæ. *Reſpondeo I.* viderint Authores aliarum ſcholarum, quomodo hunc nodum ſolvant. *Reſp.* 2. *diſtinguo* in creatis *Concedo.* in Deo *ſubdiſtinguo* tot naturas ſimpliciter *Nego* cum addito natura naturificativa, naturificabilis, & naturificare ſimul *Concedo.*

5. RESOLUTIO II. *ex Scholis omnibus Anti-Lullianis.* Hoc Myſterium adeo eſt occultum & inſcrutabile ut ſolâ obſcurâ fide cognoſci, non verò naturali demonſtrâtione intelligi queat.

6. *Ratio* I. *ex ſcript. primò* Petro divinitatem Chriſti confeſſo dicitur: *caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed* NB *Pater meus, qui in cælis eſt Matth.* 16. ergo non habetur notitia hujus Myſterii ſine revelatione, hunc locum explicans *S. Cyrillus Alex.* ait: *Filii Dei cognitio cæleſte divinæ inſpirationis donum eſt.* Ecce notitia Filii Dei ad inſpirationem cæleſtem, non ad demonſtrationem naturalem revocatur. *Secundo nemo novit Filium niſi Pater, neque Patrem quis novit, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare Matth.* 11. quomodo ergo Lulliſtæ noverint Patrem & Filium per demonſtrationem?

7. *Confirmatur* I. *S. Hormiſtas Pontif. in Epiſt. ad Imperat. Juſtinianum c.* 1. ſcribit; *ſecretum Trinitatis nec ullâ vi, nec inviſibilium creaturarum potuit inveſtigare natura.*

8. *Confirmatur* II. Juxta Apoſt. *Myſterium Incarnationis eſt abſconditum â ſæculo*: ergo nullâ ratione naturali eſt cognoſcibile, quid dicam demonſtrabile? ergo hoc multò magis dicendum de altiſſimo Ss. Trinitatis Myſterio.

9.

9. *Confirmatur* III. S. Aug. Illuminatiſſimus Eccleſiæ Doctor ad litus maris ambulans, totus immerſus cogitationibus de hoc altiſſimo Myſterio quomodo idipſum capere, aliiſque deinde explicare poſſet, ex inſperato, Deo id diſponente & docere volente, inconceptibile â nobis eſſe Myſterium, incidit in Angelum ſub formâ puelli latentem, & in tenuem â ſe effoſſam ſcrobem aquas marinas continuò labore hauſtas infundentem, à quo puello facti ſui rationem interrogato, cùm dixiſſet, ſe cogitare totum mare in exiguam ſcrobem transferre, riſu quidem & ſuavi increpatione excepit puerum, ſed confuſus ab eodem diſceſſit, dum puellus Doctrinæ loco reſpondebat Auguſtino, quod multó faciliùs ac citius ea ſcrobs exigua vaſtum mare, quam Intellectus Auguſtini Myſterium Ss. Triados capere poſſet.

10. *Ratio* II. non poteſt probari â quaſi priori, quia naturali lumine non poteſt cognoſci naturam divinam eſſe radicem metaphyſicam trium perſonarum inter ſe, non tamen ab illa realiter diſtinctarum. nec â poſteriori; quia omnes effectus â Deo ad extra producti, & â nobis naturaliter cognoſcibiles nihil aliud indicant, quàm dari Ens unum improductum, omniperfectum, omnipotens: nihil autem in rebus creatis invenitur, quod indicet eſſentialem connexionem cum Trinitate Perſonarum, quibus ſubſiſtit Ens illud improductum: ergo nulla datur de Ss. Trinitate naturalis demonſtratio.

11. *Ratio* III. ſi poſſet divina Trinitas demonſtrari ex ratione naturali, ſicut divina Unitas: ergo ſicut omnes Doctores Catholici agnoſcunt demonſtrari poſſe Unitatem Dei, ita etiam agnoſcerent demonſtrabilem Trinitatem. hoc autem negatur ab omnibus Doctoribus, præterquam â Lulliſtis: ergo non eſt æqualis de Deo Uno & Trino demonſtratio.

AR-

ARTICULUS II.

Reſolutio ejuſdem Quæſtionis ex Scholâ Lullianâ.

12. RESOLUTIO. Poſſibile, imò neceſſe eſt demonſtrationes dari fortiſſimas & evidentes de divinâ Trinitate, ſicut de divinâ Unitate.

13. *Ratio* I. Defacto demonſtratur Deus Unus, atqui ùt Trinus eſt Unus: ergo per demonſtrationem Dei Unius, quæ defacto datur, etiam demonſtratur Deus ùt Trinus ſive Ss. Trinitas. Minor probata eſt *Part.* 1. *Quæſt.* 3. ubi refutata fuit erronea opinio eorum, qui putant Deum unum eſſe Naturam abſolutam, quæ ſit radix metaphyſica triplicis Proprietatis relativæ divinæ; & econtra probatum eſt, quod Natura divina ſit Deus Deificativus, Deificabilis, Deificare, quæ ſunt ipſæ tres *Deales Perſonæ*, uti loquitur Beatus Doctor *Tom.* 2. *l. de Quinque ſapientibus fol.* 43. *Col.* 2. & hæ tres Deales Perſonæ ſunt ipſe Deus Unus, ſive Trina Deitas, & Una Trinitas.

14. *Ratio* II. Si Ss. Trinitas demonſtrari non poteſt evidenter, ſequitur, quod Voluntas divina agat contra ſuam Sapientiam & Juſtitiam: nam divina Sapientia ſcit Sanctiſſimam Trinitatem magis â nobis etiam Viatoribus amabilem & amandam eſſe, quàm creaturas; & Juſtitia exigit Ss. Trinitatem infinitè magis amari, quàm creaturas: divina verò Voluntas non vellet illam Ss. Triadem â nobis magis amari, ſed potius vellet â nobis magis amari creaturas, cùm dederit nobis majus lumen ad meliùs cognoſcendas creaturas, quam ſanctiſſimam Trinitatem, melior autem cognitio medium ſit ad majorem amorem; ergo cùm impoſſibile ſit, quod divina Voluntas agat contra divinam Sapientiam & Juſtitiam, ſequitur ſanctiſſimam Trinitatem ab hominibus Viatoribus ex naturali lumine demonſtrari poſſe.

15. *Ratio* III. *S. Paulus Rom.* 1. *v.* 20. ait: *inviſibilia enim ipſius â creaturâ mundi, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* ubi Apoſtolus loquitur Generaliter de inviſibilibus Dei: atqui Ss. Trinitas eſt Unum ex inviſibilibus Dei: ergo per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpicitur: ſi conſpicitur, evidenter cognoſcitur & demonſtratur. Innumera alia & fortiora argumenta videri poſſunt in magno Opere impreſſo Illum. Doct. Tom. II. Lib. 3. Mir. Demonſtr.

ARTICULUS III.

Solvuntur Argumenta â Scholis Lullianæ Doctrinæ contrariis Articulo I. allata.

16. AD *Rationem* I. *num.* 6. & textus S. Scripturæ. *Ad primum Reſp.* 1. utique ſcientia carnis, ſanguinis & ſenſuum non revelat Myſteria, alioquin non eſſent Myſteria: ideo Jubet Apoſtolus hanc ſcientiam deponere, & captivare Intellectum in obſequium fidei. Sed quid inde, quid amabo? contra Doctrinam Lullianam inferri poteſt? *Reſp* 2. ultrò damus, quod Petrus â reti ad munus Apoſtolicum vocatus id temporis, dum Chriſtus eum verbis ſupradictis allocutus eſt, adhuc rudis non habuerit naturales demonſtrationes de Chriſti divinitate, ſed notitiam acceperit deſuper per revelationem. Quis verò Dialecticæ vel tenuiter gnarus ex eo inferet: *ergo nullus habet de Chriſti Divinitate naturalem demonſtrationem?* lubens etiam hîc diſſimulo, quod in eo textu nulla Ss. Triados mentio fiat. Ad gloſſam S. Cyrilli num. 6. Reſp. *diſtinguo* Filii Dei cognitio ſpecialis, qualis fuit in S. Petro, B. Lullo & aliis quibuſdam ſanctis *Concedo*, communis, qualis per artem â nobis haberi poteſt *Nego. ad ſecundum textum reſp.* 1. ex argumento ab Adverſariis ſuper illum textum confecto inferent Hæretici: ergo Spiritus S. non novit Patrem neque Filium, niſi per revelationem & proinde non erit Deus.

Deus. *Reſp.* 2. *Diſtinguo*: nemo ex creaturis novit Patrem comprehenſivè niſi Filius ſecundùm divinitatem, & intuitivè ſecundùm Humanitatem, & ſupernaturaliter ſolùm ille, cui voluerit Filius revelare *Concedo.* ex naturali lumine, præſuppoſita tamen fide nemo novit *Nego.*

17. *Ad Confirm.* 1. *num.* 7. Quia S. Pontifex ait: nec ulla vi, intelligit violentiam & audaciam intellectûs, ſine præſuppoſita humili fide *Parte.* 1. *Quaſt.* 1. *num.* 8. explicatâ inveſtigare non poſſe, quod & Lulliſtæ docent.

18. *Ad Confirmationem* II. *num.* 8. *poteſt reſponderi primò*, quod Pater multis ſæculis, quibus ſtetit mundus, non introduxerit Filium in orbem terræ viſibilem, & ideo fuerit Myſterium incarnationis abſconditum â ſæculis in executione. *ſecundò poteſt reſponderi* fuiſſe abſconditum hominibus carnalibus ſecundùm ſcientiam ſenſuum judicantibus, quales fuerunt gentiles & Judæi arbitrantes Meſſiam, qui eſſet Rex, debere comparere in eximio ſplendore & magnificâ pompâ, non autem in paupertate & paſſione contemptibilem, unde *Apoſt.* 1. *ad Cor.* 1. *v.* 20. 21. 22. *&* 23. ait: *ubi ſapiens, ubi ſcriba, ubi conquiſitor hujus ſæculi? nonne ſtultam Deus fecit ſapientiam hujus mundi? nam quia* NB *in Dei Sapientia non cognovit mundus per ſapientiam Deum, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes; quoniam & Judæi ſigna petunt, & græci ſapientiam quærunt: nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam.* Nequaquam verò Apoſtolus vult eſſe abſconditum illud Myſterium iis, qui ſuppoſita humili fide, per lumen naturæ aſcendunt ad Dignitates Dei, & inde evidentes eruunt demonſtrationes.

19. *Ad confirmationem* III. *num.* 9. Reſp. *primò* S. Aug. tunc temporis adhuc Junior, paulò quàm oportebat liberiùs ingenio ſuo nimium confiſus ſe intromiſit in altiſſimum Ss. Triados Myſterium; id meritò Angelus puellum indutus in eo reprehendit: poſtea

verò præmiſsâ humili fide ſcripſit libros præclariſſimos, & in eis demonſtrationes evidentes de Ss. Trinitate, quæ videri poſſunt in Præfatione Tomi ſecundi magni Operis Lulliani. ubi etiam loca S. Aug. fideliter citantur. *Reſp. ſecundò.* B. Lullus *Tom. 4. in Diſputatione fidei & Intellectûs*, ubi inducit fidem, quaſi Myſteria naturaliter demonſtrari non poſſint objicientem, & ad objectiones reſpondentem Intellectum ſequentibus verbis.

„*Fides dixit*: narratur, quod erat quidam magnus Clericus Chriſtianus, & volebat omnino eſſe certus per cogentes rationes de divina Trinitate, & venit ad quoddam magnum flumen, & in littore invenit valde parvum puerum, qui conabatur infundere aquam cum ſchypho in unam foveam; Clericus verò petiit ab eo, quid intenderet facere, puer dixit, quod vellet menſurare, quot ſcyphi aquæ propriè eſſent in illo flumine: ait Clericus, quòd ipſe laboraret ad impoſſibile; dixit puer, quòd eſſet magis impoſſibilè hoc, quod ipſe quæreret de divinâ Trinitate: & ſic fides dixit intellectui: mi frater: modo potes cognoſcere, quod hoc, quod tu dicis, ſit impoſſibile ſcitu. Ait intellectus: omne impoſſibile non eſt in omni tempore, nec circa quemlibet hominem: nam quando placet Deo, de impoſſibili facit poſſibile, & è converſo, & ſic tua ratio eſt nulla.

20. *Ad Rationem* II. *num.* 10. nego utrumque aſſertum. *Primò* demonſtrationes â quaſi priori vel ſimultaneo afferentur complures Quæſtione ſequenti. *Secundò* Argumentum ſupponit Deum Unum eſſe Naturam abſolutam ex ſe metaphyſicè emanantem tres Proprietates relativas, quam opinionem ſatis refutavimus *Parte* 1. *Quæſt.* 3. *Tertiò* etiam juxta adverſarios tota Ss. Trinitas egit ad extra: igitur Bonitas Bonificativa (& ſic de reliquis divinis dignitatibus) debet cuivis creaturæ imprimere Idæam *Tivi*) per *Tivum* intelligimus ſemper ultimas Syllabas nominum de Dignitatibus Dei v. g. Bonificativi, Poteſtativi &c. &c. idem eſt de *Bili* & *Are*) & Bonitas

Bo-

Bonificabilis idæam *Bilis*, & Bonitas Bonificare idæam *Are:* ergo hoc ipſo habentur quot creaturæ, tot veſtigia Ss. Triados, ex quibus demonſtrativè ad ejuſdem demonſtrationem aſcendere poſſumus. Aliqua ejuſmodi veſtigia aperio, & ex eis demonſtrationem â poſteriori Ss. Trinitatis ex verbis B. Lulli, quæ habet Tom. 4. in Lib. Diſput. inter Fidelem & Infidelem, pag. 20. ubi Fidelis ex naturalibus rationibus, contradicente, quando poteſt, Infideli, demonſtrat divinam Triadem eſſe unum Deum, ùt ſequitur.

21. „ Ait Catholicus: Deus in tantùm aſſimila„ vit ſuas creaturas ſibi ipſi, in quantum creaturæ po„ tuerunt recipere ſimilitudinem Ejus ſecundùm ſuas „ qualitates, ut per illam ſimilitudinem humanus In„ tellectus plùs aſcendat ad cognoſcendum Deum, & „ humana Voluntas ad plùs diligendum illum, hoc „ autem ita convenit eſſe, ut Magnitudo divinæ Bo„ nitatis, Sapientiæ, Voluntatis, Juſtitiæ Largitatis „ &c. &c. non deficeret humano Intellectui & Volun„ tati, ſed quia in creatis eſt nobilior & magìs uni„ verſalis numerus Unitas & Trinitas quàm alius nu„ merus: ergo patet, quod numerus in divinis ſit „ Unitas & Trinitas, Unitas quoad Eſſentiam, Tri„ nitas quo ad ſuppoſita vel Perſonas. Quòd autem „ in creaturis Unitas & Trinitas ſit numerus nobilior „ & magìs univerſalis, patet, quia unaquæque ſub„ ſtantia creata continet prædictum numerum ſecun„ dùm ſuam totalitatem & non ulta, ùt ſubſtantia „ mundi, quæ eſt tota in naturâ ſenſuali & Intellectua„ li, & in conjuncto ut in animali rationali quod ex „ illis eſt conjunctum, & hæc tria ſunt unus mundus: „ hoc etiam patet in unaquâque ſubſtantiâ individua„ tâ, quia unaquæque ſubſtantia individua eſt ex for„ mâ, & materiâ & ex conjunctione illarum; nam „ ex formâ & materiâ cujuſque ſubſtantiæ procedit „ una conjunctio ratione unius ſubſtantiæ. Iterum „ hoc etiam patet in intellectualibus ſubſtantiis, ut „ in animâ rationali: nam in animâ rationali ſunt tres „ proprietates vel potentiæ, quæ ſunt ſaltem realiter,

„ſi non formaliter ipſa anima; hoc idem etiam ſequi-
„tur de verbo, quod producunt potentiæ, videlicet
„recolere, intelligere & velle, quæ tria ſunt unum
„verbum: hoc idem etiam eſt de verbo Argumenti,
„quod eſt unum de duabus propoſitionibus & una con-
„cluſione procedente ex duabus præmiſſis propoſitio-
„nibus, & ſic de ſimilibus iſtis. unde patet neceſſa-
„riò, quod in divinis ſit tantum numerus Unus &
„Trinus, & non alius; quia ſi eſſet alius, neceſſariò
„conveniret, quod alius numerus à Trino & Uno
„eſſet nobilior & univerſalior, quòd eſt falſum, ut
„manifeſtum eſt nobis, vel quòd Deus non aſſimila-
„ret ſibi creaturas in tantum, quantum creaturæ poſ-
„ſent recipere Ejus ſimilitudinem, cujus oppoſitum
„patet, ùt nunc prædictum eſt.

22. *Ad Rationem* III. *num.* 11. Quoties Doctores Scholæ Anti-Lullianæ formant demonſtrationes de Deo Uno, toties etiam demonſtrant Ss. Triadem. nam non poſſunt demonſtrare Deum omniperfectum, quin hoc ipſo ſaltem implicitè demonſtrent perfectiſſimum in agendo, idque in æternitate, alioquin haberent Deum in æternitate otioſum & imperfectum, qui nullo dignus eſſet cultu & adoratione, ſi autem cognoſcant Deum in agendo perfectiſſimum & hoc in æternitate, jam probant Tivum, Bile, & Are: ergo hoc ipſo demonſtrata eſt Sancta Trinitas Unus Deus. quod autem præfati Authores vim demonſtrationis de Ss. Trinitate vel nolint agnoſcere, vel non poſſint, tribuendum eſt aut ſtudio partialitatis, quo priùs deberet eſſe mens vacua: aut reſpondemus illis, quod B. Lullus ſub nomine & figurâ Intellectûs reſpondit fidei objicienti præcedente numero 19.

Quæ-

QUÆSTIO II.

Quomodo demonſtrari poſſit divina Trinitas?

1. S*Tatus quæſtioni sc ſt*, ex quibus præmiſſis per lumen naturale dictatis certò, infallibiliter & evidenter inferri poſſit hæc concluſio: *ergo datur divina Trinitas.*

ARTICULUS I.

Reſolutio Quæſtionis ex Scholis Anti-Lullianis.

RESOLUTIO. Præmiſſæ ex lumine naturali factæ de divinæ Triados demonſtratione per *Tivum*, *Bile*, & *Are*, ſunt obſcuræ & periculoſæ in fide orthodoxâ.

3. *Ratio* I. Barbaros illos terminos nemo hactenus intelligere potuit præter Lulliſtas; ergo Lulliſtæ debent eſſe homines planè ſpeciales ſub mirabili climate & ſydere nati, qui ſoli evidenter vident id, quod aliis eſt obſcurum.

4. *Ratio* II. Juxta argumentationem per *Tivum*, *Bile*, & *Are* Spiritus Sanctus eſt Bonificare, Pater Bonificativus, Filius Bonificabilis: atqui Bonificare, cum ſit actus Bonificativi, non eſt à Bonificabili, ſed à Bonificativo; ergo in hac argumentatione malè ſupponitur Spiritum Sanctum non procedere à Filio ſed tantùm à Patre, quod eſt contra fidem.

5. *Ratio* III. Si ſtaret hæc Argumentatio, quòd ex Bonificativo, Bonificabili, & Bonificare colligantur eſſe tres Perſonæ: ergo pari Jure dici poſſet: in Deo eſt generativum, generabile, & generare, ex

70

quo ſequerentur tres aliæ Perſonæ: item in Deo eſſe Spirativum, Spirabile, & Spirare, ex quo ſequerentur tres adhuc aliæ Perſonæ, & proinde numero novem. *ſi autem dicis:* Generatio & ſpiratio eſt una eademque Perſona, ſequeretur tamen eſſe Perſonas ſaltem octo; ſicut ergo hæ argumentationes ſunt erroneæ & contra fidem, ita melior non videtur illa Lulliana, ſi ſolo lumine naturali niti velit.

ARTICULUS II.

Reſolutiones ejuſdem Quæſtionis ex Schola Lullianâ.

6. RESOLUTIO I. Præmiſſæ ex lumine naturali dictatæ de divinæ Triados demonſtratione ſunt evidentes & infallibiles, ex quibus legitimè infertur hæc concluſio: *Ergo datur divina Trinitas.* Ad hanc reſolutionem fuſiùs & dilucidè probandam libet hunc Articulum diſpeſcere & ſubdividere in quatuor §§. in quorum *primo* demonſtrabitur, *in Deo eſſe productionem ad intra, & proinde dari ſaltem duo ſuppoſita divina.* in §. *ſecundo: ex duobus ſuppoſitis procedere tertium.* in § *tertio tantum dari in Deo tres Perſonas*, & proinde in §. *quarto: eſſe Unum tantum Deum*, ad quem precatur Eccleſia: *Sancta Trinitas Unus Deus.*

§. I.

Demonſtratur dari in Deo productionem ad intra, conſequenter eſſe ſaltem duas in Deo Perſonas.

7. DEMONSTRATIO I. Ex *Tom. 4. libr. Apoſtrophe de Articulis fidei fol.* 32. „Non minoris actualitatis, Poteſtatis & Nobilitatis eſt infinita „Bonitas, quàm finita, ſed finita Bonitas eſt ratio finito

„ nito bono, quod producat naturaliter & de ſe fini-
„ tum bonum: ergo infinita Bonitas erit ratio infinito
„ bono, quòd producat naturaliter, & ex ſe infini-
„ tum bonum; igitur cùm in Deo ſit infinita Bonitas,
„ producet infinitum bonum, nihil autem aliud à Deo
„ poteſt eſſe infinitum, ſed ſolus Deus, ùt probatum
„ eſt: unde, cùm Deus ſit infinitum bonum, pro-
„ ducet infinitum bonum, & per conſequens idem &
„ æquale ſibi in Bonitate, Eſſentiâ & Naturâ, cùm
„ ſuperiùs ſit probatum (hìc autem §. 4. probandum)
„ quod non poſſint eſſe duo vel plura differentia per
„ Eſſentiam: unde, cùm omnis actio ſit ſuppoſito-
„ rum, ſcilicet ſuppoſiti ùt producentis & ſuppoſiti
„ ùt producti, convenit, quòd inter producentem &
„ productum ſit diſtinctio ſuppoſitorum: cùm idem
„ non poſſit producere ſeipſum; ergo ſequitur, quòd
„ in divinis erit ſuppoſitum producens, & ſuppoſi-
„ tum productum, & utrumque dicimus Perſonam,
„ cum Perſona dicatur, individua ſubſtantia rationalis
„ naturæ, & veriùs & magis propriè dicetur Perſona
„ in divinis, quàm in creatis; quia in divinis Perſo-
„ na eſt incommutabilis exiſtentia divinæ Naturæ,
„ ergo ſequitur pluralitas perſonarum: nimirum ex
„ probatâ productione Dei ad intra.

8. DEMONSTRATIO II. *ibid.* „ Omne id,
„ quod eſt purus actus æternus & infinitus, agit æter-
„ naliter & infinitè æternum & infinitum, aliàs non
„ eſſet purus actus æternus & infinitus, ſed Deus eſt
„ purus actus æternus & infinitus: ergo agit æterna-
„ liter & infinitè æternum & infinitum: ſed omne ta-
„ le eſt Deus, ergo Deus producit Deum non autem
producit ſeipſum, aliàs eſſet ante ſe: ergo alium
Deum, non alium in naturâ, quod impoſſibile eſſe
§. 4. demonſtrabitur: ergo alium in Perſonâ, ſive
Deus Deificativus producit Deum Deificabilem: ergo
ſequitur productio ad intra in Deo, & pluralitas per-
ſonarum.

9. DEMONSTRATIO III. *ibid.* „ In Deo ſuum
„ exiſtere & ſuum agere ſunt idem, cum ſit purus

„actus, ſed Deus eſt Deus in exiſtendo: ergo erit „Deus in agendo: ergo Deus producit Deum; aliàs „Deus eſſet Deus in exiſtendo, & non eſſet Deus in „agendo, igitur ſequitur Pluralitas Perſonarum.

10. DEMONSTRATIO IV. *ibidem.* „Eſt im„poſſibile quod una & eadem ſimplex eſſentia diſtet „â nihilo in infinitum, & non diſtet â nihilo in infi„nitum, quia implicatur contradictio; ſed divina eſ„ſentia eſt eadem cum ſua Potentia, quia eſt ſimplex: „& cum Eſſentia ſit infinita, diſtat â nihilo in infini„tum, ſed ſi de ſe & naturaliter nihil poteſt produce„re, ſua Potentia non diſtat â nihilo in infinitum, „imò habet ſecum annexum nihil, ſi de ſe nihil po„teſt producere; ergo Eſſentia divina diſtat â nihilo „injinfinitum & divina Potentia, quæ eſt idem cum „divina Eſſentia, non diſtat â nihilo, ſed hoc eſt im„poſſibile: igitur divina Potentia poteſt aliquid de ſe „& ex ſe producere non finitum, quia non eſt divi„ſibilis, cum ſit ſimplex; ergo producet de ſe & ex „ſe infinitum, ergo ſequitur pluralitas Perſonarum.

11. DEMONSTRATIO V. *ibid.* „Illud ens eſt „nobilius, quod eſt bonum, & facit bonum, eſt in„finitum, & facit infinitum, eſt æternum, & facit „æternum, eſt perfectum, & facit perfectum &c. „&c. quàm illud, quod non facit, aliàs Potentia & „privatio eſſent nobiliora, quàm ſint actus, ſed Deus „non ſolum eſt. ens nobilius, quám omne ens, ſed „etiam ſimpliciter nobiliſſimum. unde cum ipſe ſit „ſummè bonus, infinitus & perfectus, producet bo„num infinitum, Æternum & perfectum, quia pro„ducendo bonum finitum non coæquaret ſuum actum, „quantum ad terminum ad quem, ſcil. ad rem pro„ductam; cùm eſſet finitus ſibi ipſi, qui eſt infini„tus: nec in tali actu communicaret ſuam eſſentiam: „nihil autem poteſt eſſe Bonum infinitum, æternum „& perfectum, niſi ſolus Deus; ergo Deus produ„cet Deum æqualem ſibi in omnibus: igitur in divi„nis ſunt duæ Perſonæ, producens & productum.

12. DEMONSTRATIO VI. ex *Tom.* 2. *lib. de* „*Quinque Sapientibus. fol.* 34. Nullum ens poteſt en- „tificare ſe ipſum, ſcil. quod entificativum producat „ſeipſum in *eſſe*, nam ſi produceret ſeipſum in *eſſe*, „ſua poteſtas eſſet, antequam eſſet, quod eſt contra- „dictio, quæ eſt impoſſibilis: cùm nihil poſſit eſſe „extra rationem entis, ergo Deus, qui eſt ſumme „entificativus, non poteſt entificare ſe ipſum entifi- „cativum, non poteſt entificare entificabilem de ſuâ „eſſentiâ ſine diſtinctione realium ſuppoſitorum: igi- „tur, ſi in ſuâ Eſſentia non ſint diſtincti, ita quod „unus non ſit alius, Deus nec poteſt entificare in ſe- „ipſo, nec in alio ſibi eſſentiali & perſonali, quod „eſt inconveniens & contra infinitatem ſuæ entitatis, „Bonitatis, Æternitatis, & cæterarum ſibi eſſentia- „lium dignitatum: igitur Deus, qui eſt ſummè en- „tificativus poteſt entificare entificabilem, ſicut poſ- „ſificativus poteſt poſſificare poſſificabilem, & intel- „lectivus intelligere intelligibilem in ſuâmet Eſſentiâ: „unde ſequitur in Deo pluralitas realium Suppoſito- „rum diſtinctorum, ut divina Poteſtas poſſit habe- „re ſubjectum, in quo ex ſeipsâ poſſit poſſificare ſub- „ſtantialiter & eſſentialiter.

13. DEMONSTRATIO VII. *ibid.* „Ex eodem „Tom. 2. ſi in divina Poteſtate non eſt diſtinctio poſ- „ſificativi, poſſificabilis & poſſificare, qui ſunt ejuſ- „dem eſſentiæ, ipſa nihil poteſt de Bonitate, Magni- „tudine, Æternitate &c. &c. cùm ipſa cum Bonitate, „Magnitudine, Æternitate ſit idem numero per eſ- „ſentiam; ex quo ſequitur parvitas poteſtatis, cùm „non poſſet poſſificare de Magnitudine: nec eſſet „bona Poteſtas, cùm non poſſet poſſificare de Boni- „tate, & ſic pateretur defectum per omnes alias dig- „nitates, ſed, cùm hoc ſit impoſſibile, quod Poteſtas „Dei ſit defectiva, neceſſariò convenit, quod Po- „teſtas Dei de Bonitate, Magnitudine &c. &c. poſſit „poſſificare, id eſt, quod poſſificativus, qui in Deo „eſt, Magnitudo &c. de Bonitate, Magnitudine &c. „poſſit poſſificare, poſſificabilem bonum, Magnum

&c.

„&c. &c. qui non ſit ipſe poſſificativus ſub ratione „individuitatis & diſtinctionis perſonalis : igitur in „Deo eſt pluralitas.

14. DEMONSTRATIO VIII. *ex Tom.* 4. *Lib.* „*de diſput. Fidei & Intellectus fol.* 10. *num.* 9. Infinito „enti magis convenit infinire, quam finire, ſed Deo „convenit finire, ſeu determinare creaturas: ergo „multò magis illi convenit infinire in ſe divinas Per„ſonas.

15. *Demonſtratio* IX. *ibid. num.* 14. „Deus eſt ens „non indigens extra ſe aliquo, ſed ſi in Deo non eſt „productio, ipſe eſt indigens aliquo extra ſe, ut poſ„ſit agere bonum ratione ſuæ Bonitatis, ut non ſit „otioſus; & quia talis indigentia eſt impoſſibilis, er„go in Deo eſt productio, conſequenter diſtinctio.

16. *Demonſtratio* X. *ex Lib. Diſput. fidei & In*„*tell. fol.* 10. *num.* 15. *Tom.* 4. omne principium natu„raliter infinitum & æternum producit principatum „naturaliter infinitum & æternum: ſed Deus eſt prin„cipium naturaliter infinitum & æternum: major ſic „eſt evidens, quia de naturâ principii eſt principiare, „& maximè de principio naturaliter infinito & æter„no: minorem declaro ſic: quia ſi Deus non eſſet „naturaliter æternum & infinitum principium eſſet „tantùm principium effectivè finitum & in tempore, „quod eſt contra naturam & eſſentiam Dei, vocamus „autem principiantem unam Perſonam & principia„tum aliam; & ratio hujus eſt, quia de natura prin„cipii eſt, quod principians non ſit ſuum principia„tum, nec è converſò.

Millena & adhuc plura poſſent de hac materià ex libris B. Doctoris argumenta afferri. ſed decem iſtæ demonſtrationes ſufficiant velut decumana procella, per quam fractâ penitus Adverſariorum debilitate & puſillanimitate in cognoſcendo hoc Myſterio, libera mens ſuppoſitæ fidei innixa in vaſtum mare demonſtrationum claro rationis lumine affulgente deinceps tutiſſimè evolare poterit.

17. *Dices* I. *cum Saracenis.* Si Deo convenit infini-

finire, quia eſt infinitus; ergo convenit illi, quòd infiniat infinitas creaturas, *Reſpondeo Nego ſequel*: creaturæ non ſunt capaces infinitudinis; cùm Infinitas, ſicut etiam omniſcientia, non ſint de genere creaturum, ita *B. Doctor Lib. Diſput. Fidei & intellectûs fol.* 11. *num.* 9. *Tom.* 4.

18. *Dices II.* Deus producit bonum infinitum & æternum intelligere, & eſt producens intelligens, & productus intelligibilis ſine aliqua diſtinctione reali perſonarum *Reſpondeo Nego* aſſertum. impoſſibile eſt producens & productum eſſe idem: aliàs idem eſſet ante ſe, quod involvit contradictionem. productio autem debet eſſe in Deo, ne in Æternitate ſit otioſus: igitur & Diſtinctio. *Nec dici poteſt*, quòd unum ens ſibi ipſi in exiſtendo ad beatitudinem ſufficiat: nam *primò*, ſic ſufficeret ſibi in æterno otio, quod eſt abſurdum. *ſecundò* ſic illud infinitum Ens non eſſet ſummè & infinite communicativum ſuî (nemo enim ſibi bonum communicat) ergo non eſſet ſummè bonum. *Tertiò* ſic tale ens non haberet ſummè delectabile conſortium, adeoque careret aliquâ perfectione & beatitudine. *Quartò* tale Ens infinitum non poſſet alteri manifeſtare ſuas perfectiones, adeoque in hoc eſſet limitatum. *Quintò* tale ens infinitum eſſet fœcundum ad extra in terminis imperfectis, & non ad intra reſpectu termini perfectiſſimi, vide etiam demonſtrationem ſextam & decimam ſuprà.

19. *Dices* III. Si in Deitate Pater de toto ſe ipſo generat Filium, de toto ergo communicat ſe illi, ſic igitur in tantum communicat illi ſuam Paternitatem, in quantum Bonitatem, Infinitatem, aliter major eſſet Bonitas, Infinitas in Patre, quam Paternitas; & ſic Paternitas eſſet defectiva in Magnitudine Bonitatis, quod eſt impoſſibile: ſi autem Pater communicat Filio ſuam Paternitatem, Filius eſt Pater habens Filium alium â ſe, & ſic erunt Duo in Deitate Filii, quod non valet, ergo nec valet, quod Pater de toto ſeipſo generet Filium, & propterea ſit Pluralitas Perſonarum in Deo. *Reſpondeo.* communicat ſe illi quoad omnia

omnia *bilia* Bonitatem bonificabilem, Æternitatem æternificabilem: non autem poteſt communicare *Tivum* purum & ingenitum, per quod Pater eſſentialiter diſtinguitur à Filio & *Bili*; ergo non poteſt *Tivum* eſſe in Filio per identitatem, aliàs Pater diſtingueretur per *Tivum* à Filio, & quia *Tivum* identice eſſet in Filio, non diſtingueretur, quod eſt contradictio. Nec ſequitur Bonitatem bonificabilem (nam Bonitas bonificativa eſt ipſa Paternitas) eſſe minorem aut majorem Paternitate: quia neutra ſine alterâ eſt, aut perfecta eſt, cæterâ quòd non poſſint eſſe plures Filii, aut Perſonæ plures in Deo eſſe quàm tres, probabitur mox §. III.

Porro *Tivum* ſunt ultimæ duæ ſyllabæ omnium perfectionum in Patre v. g. Bonitatis bonificativæ, poteſtatis poteſtativæ &c. &c. ut jam dictum eſt.

20. *Dices* IV. Si Pater de ſe toto generat Filium, non poteſt ſpirare Spiritum S. vel ſi de ſe toto ſpirat Spiritum S. non poteſt de ſe toto generare Filium, quia una Perſona non poteſt ſufficere duabus Perſonis omninò æqualibus: cum Magnitudo ſit major in Dualitate Infinitatis, Æternitatis &c. duarum Perſonarum, quàm ſit tantùm in Unitate Infinitatis, Æternitatis Unius perſonæ tantùm: ſic igitur patet, quòd in Deo ſit Unitas Perſonarum vel ſuppoſitorum, non autem Trinitas. *Reſpondeo Nego* aſſertum: una Perſona ſufficit duabus perſonis omninò æqualibus producendis, imo non poſſet unam producere, niſi cum hac ſimul Tertiam produceret: quod ſic breviter oſtendo. dum Pater generando communicat Filio omnem Dignitatem divinam, neceſſariò hanc communicatam in Filio amat, & Filius Dignitatem divinam communicativam neceſſariò reamat: atqui hæc reactio & mutua amatio non poteſt fieri, quin producatur amor medius inter utrumque & ab utroque productus ſubſtantialis & perfectiſſimus, conſequenter ſuppoſitalis: ſicut enim Pater ſolus intelligendo non cognoſcit ſeipſum tantum per modum Objectationis, ſed Productionis & Generationis aliûs Perſonæ:

ita

ita Pater & Filius ſe mutuo amantes non agunt purè per modum Objectationis, ſed etiam Productionis: ergo non poteſt Pater generare Filium, quin ſimul cum Filio per mutuam actionem producat Tertiam Perſonam. Fuſiùs hâc de re §. ſequente

Ad *probat: Reſpondeo* major eſt Infinitas in duabus Perſonis quàm in unâ extenſivè quoad numerum Perſonarum Dualem *Concedo*: intenſivè quoad perfectionem Infinitatis *Nego* hoc eſt duæ Infinitates Perſonales, ſunt plures quàm una, una tamen habet virtutem Infinitam intenſivè ſummam, ut poſſit plures producere Perſonas, uti dictum eſt.

§. II.

Quòd ſit in Deo tertia Perſona eáque exeat â Patre & Filio.

21. **D***Emonſtratio* I. *ex Lib. Apoſtrophe de Articulis fidei fol.* 34. *num.* 3. *Tom.* 4. „Tantæ actualitatis & fœcunditatis eſt amare in Deo, quantæ generare (alioquin in Deo foret inæqualitas, quod eſt im„poſſibile, ſed per generare exit Perſona de Perſonâ, „ſicut Filius de Patre: ergo de amore Patris & Filii) „reciproco) exit Perſona tertia.

22. „*Demonſtratio* II. *ibid.* num. 1. Probatum eſt „ſuperiùs, quòd Pater producat Filium per modum „naturæ, qui eſt idem cum Patre in ſubſtantia, & „æqualis per omnia: unde, ſicut naturalè eſt Patri „generare Filium, ita eſt illi naturale amare Filium, „cùm ipſe Filius ſit infinitè Bonus: & ſicut naturale „eſt Filio generari â Patre, ita naturale eſt illi amare „Patrem; inde arguimus ſic: omnis amor verus, „actualis & perfectus de neceſſitate requirit Aman„tem, Amatum, & Amare; ſed in Deo eſt Amor „verus, actualis & perfectus, & ibi eſt amans Pater, „qui eſt Perſona, & Amatus Filius, qui eſt Perſona, „ùt probatum eſt: ergo etiam amor procedens â Pa-

„tre in Filium, & è converſo, erit Perſona; aliàs divinus Amor non eſſet tantæ actualitatis, Bonitatis, „Magnitudinis, quantæ eſt Amans & Amatus.

23. „*Demonſtratio* III. *ibid.num.* 5. Omnis operatio, ſicut eſt ſuppoſiti vel ſuppoſitorum, ut termini *à quo*, ita convenit, quod ſit ſuppoſiti; ùt termini *ad quem*: unde cùm omnes Dignitates, quæ ſunt „in Patre & Filio, ſint activæ, ſicut Pater eſt Perſona, & Filius eſt Perſona, ſic eorum operatio vel „productio intrinſeca erit Perſona: igitur apparet, „quòd, ſi in divinis ponatur prædicta pluralitas perſonarum, quam probavimus, omnes divinæ Dignitates habeant ſuos actus intrinſecos & perfectos „ſecundùm omnes rationes: ſicut Bonitas Bonificativum, Bonificabile, & Bonificare, Magnitudo „Magnificativum, Magnificabile & Magnificare, & „ſic de omnibus aliis dignitatibus: ſi autem non ponatur in divinis prædicta pluralitas Perſonarum, „nulla divina Dignitas habebit actum naturalem & „intrinſecum, imò omnes erunt ab æterno otioſæ „intrinſecè, & carentes naturali perfectione & fœcunditate; nec Deus habebit, cui impendat ſummum & infinitum amorem, nec â quo ſummè & „infinitè diligatur: poterit etiam operari aliquid de „nihilo, ſicut creaturas, de ſe autem nihil poterit „operari; & ſic Deus non erit Ens nobiliſſimum, „actualiſſimum, & perfectiſſimum, quia non erit „activus de ſe & naturaliter, nec habebit perfectas „Rationes, quod eſt impoſſibile.

24. *Demonſtratio* IV. *ibid.num.* 2. „Eſt impoſſibile, quod in divinis ſit aliquod accidens, cùm divina Eſſentia, ût probatum eſt, ſit ſimpliciſſima & „nobiliſſima: ſed ſi Amor Patris & Filii non eſſet „Perſona, ille amor eſſet accidentalis (cum eſſet terminus actionis amativæ, qui non foret ſubſtantia) „ergo neceſſarium eſt, quid ille Amor ſit Perſona.

25. *Demonſtratio* V. *ex lib. de quæſt. per artem* „*demonſtrativam ſolubilibus fol.*29. *Tom.*4. quæ deducta „eſt ex Matheſi: Neceſſarium eſt, quod medium in-

„influatur de principio & fine ſapiens naturam utriuſ„que, ut principium per medium ſe habeat ad finem, „& finis per idem medium ad principium, & ut „etiam medium ratione principii ſe habeat ad finem, „& ratione finis ſe habeat ad principium, & ut finis „ratione principii ſe habeat ad medium, & princi„pium ratione finis ſe habeat ad medium, & ſic trian„gulus eſt ex utrâque parte continuus de medio ad „finem & de eodem medio ad principium, & de prin„cipio ad medium, & de eodem principio ad finem, „& ſic de fine ad principium, & de eodem fine ad „medium; & hoc medium, quia de naturâ utriuſ„que eſt influxum inter utrumque, nectit in ſeipſo „utrumque in unum; quare convenit, quod medium „neceſſariò influatur ſeu procedat ab utroque; quod „ſi non, continuaretur triangulus ex una parte, & „non ex aliâ, & ſic naturaliter unum conjunctorum „influeret ad alterum ſed non è converſo: & iſto mo„do Finis influeret principio per medium, ſed non „refflueret idem eidem per illud, quod eſt contra na„turam & conditionem Principii & Medii, & Finis; „igitur conſtat, quod medium producatur ab utro„que. Unde cum S. Spiritus ſit medium inter Patrem „& Filium, cum ſit id, per quod Pater intelligit & „diligit ſe generare Filium, & id, per quod Filius „intelligit, & diligit ſe generari â Patre, ut ſupra „ſignificatum eſt, eſt neceſſarium, quod procedat „ab utroque, ſcil. ex Patre & Filio; aliter ſequere„tur, ſi procederet â Patre tantùm ita, quod non â „Filio, quòd Pater intelligeret & diligeret ſe gene„rare Filium, ſed non intelligeret & diligeret Filium „intelligentem & diligentem ſe generari â Patre, nec „Filius intelligeret & diligeret ſe generari â Patre, „ſed intelligeret & diligeret Patrem generare ipſum „Filium, & hoc intelligeret & diligeret ideo, quia „de eadem numero eſſentiâ Dei, quæ eſt ipſemet Fi„lius, produceretur â Patre, & ſic implicaretur maxi„mus defectus in unoquoque ſuppoſitorum, quod „eſt maximè impoſſibile; & hoc idem ſequitur, ſi

„procederet ex Filio ita, quod non ex Patre,
„& ideo eſt neceſſarium, quod procedat ab utroque.

26. *Demonſtratio* VI. *ibid num.* 6. „Eſt impoſſibile, quòd in Deo Finis ſit de eſſentia majoritatis „(quia debet eſſe in divinis perfecta Æqualitas) & „ideo convenit, quòd Spiritus S. procedat ex Patre „& Filio; quod ſi non, deſtrueretur Æqualitas finis propter Majoritatem in iſta circulatione: *Pater* „*eſt, ut ipſe ſit, & ut ſit Filius, & ut ſit S. Spiritus:* „Et *Filius eſt, ut ipſe ſit, & ut ſit Pater & S. Spiritus:* Et *S. Spiritus eſt, ut ipſe ſit, & ut ſit Pater &* „*Filius*, ita, quod Unus idem numero infinitus Finis eſſendi exiſtat totus in unoquoque illorum; nam „ſi S. Spiritus non procederet ex utroque, ſed ex ſolo Patre tantùm, S. Spiritus non eſſet immediatè „ratione Finis Filii, ſcilicet, ut eſſet Filius immediatè propter *eſſe* Sancti Spiritûs, ſed ratione Patris „tantùm; & ſic Filius eſſet defectivus in Magnitudine Finis, quia S. Spiritus non eſſet in tantùm, ut „eſſet Filius, in quantum eſt, ut ſit Pater; & hoc, „quia Filius in ſeipſo non frueretur ipſo S. Spiritu „ſpirando de ſe, ſicut Pater, ſed participando cum „illo tantum, & ſic eſſet diminuta ipſa intrinſeca & „immediata fruitio ipſius Filii, & non ejus extrinſeca: unde ſequitur, quod ſit impoſſibile, quod Finis infiniat ipſam fruitionem Filii in Magnitudine; „quod eſt falſum, cùm ipſe ſit perfectus Deus: igitur „neceſſariò convenit, quod S. Spiritus procedat in „tantùm ex Uno, quantum ex alio ſcilicet ex Patre „& Filio ſimul.

27. *Demonſtratio* VII. *ibid num.* 7. „ſi S. Spiritus procedat â ſolo Patre, Pater eſt major agendo „quam Filius, quia Pater generat & ſpirat, ſed Filius nec generat, nec ſpirat; ſi verò procedat â ſolo „Filio, Filius eſt major fruendo, quam Pater: ſed „ſi procedat ex utroque, Pater in quantum generat „Filium, in tantum ſpirat S. Spiritum, & Filius, in „quantum generatur, in tantum ſpirat eundem, & in

„in quantum Pater ſpirat, in tantum Filius fruitur il-„lo ſpirante, & è converſo Pater, in quantum ſpi-„rat Filius, in tantum fruitur eodem, & ſic eſt im-„poſſibilis inæqualitas inter Patrem & Filium, ſed „conſiſtit Magnitudo æqualiter in utroque: unde ne-„ceſſariò convenit, quod S. Spiritus procedat ex u-„troque æqualis utrique, ut non ſit inæqualitas in „Divinis.

27. *Demonſtratio* VIII. *ex Tom.*4. *L.Quæſt.ſuper lib. ſentent. Petri Lombardi fol.* 15. *num.* 1. „Deus eſt „ſummum Principium, ſed non poſſet eſſe ſummum „Principium ſine tribus conditionibus ſibi conſub-„ſtantialibus & eſſentialibus, quæ ſunt, quod ipſe ſit „Principium principians & non principiatum, & „quòd ſit Principium principians & principatum, & „Principium principatum & non principians. Eſt „*Principium principians, & non principiatum*, ut ſit „ante omnia, & ut nihil ſit ante ipſum, ut poſſit eſſe „ſummum principium per Bonitatem & Infinitatem „& Æternitatem &c. &c. Item convenit, quod Deus „ſit *Principium principians & principiatum*, ut de ſuâ „Eſſentiâ & naturâ poſſit producere principians & „principare principiatum; aliàs, niſi de ſuâ Eſſentiâ, „Naturâ, Bonitate &c. &c. produceret & principia-„ret principiatum, Deus non eſſet Principium ſub-„ſtantialiter & naturaliter, ſed artificialiter & per ac-„cidens, & ſic careret principiabili infinito & æterno, „ratione cujus carentiæ Deus non poſſet eſſe ſupre-„mum Principium. Et quia Deus eſt *ſupremum prin-„cipium principians non principiatum*, producit prin-„cipiatum de ſeipſo ratione ſuæ Bonitatis Infinitatis, „Æternitatis: & principium principians appellamus „Patrem, & principiatum Filium: unde cum ſoli „Enti infinito & æterno conveniat tale principiare & „producere, poteſt eſſe & eſt ſummum principium. „Item convenit, quod in Deo ſit principium princi-„piatum & non principians, ut principium princi-„pians non principiatum, & principium principia-„tum non principians æqualiter ſibi invicem reſpon-

„ deant per Bonitatem, Infinitatem, Æternitatem &c. „ aliàs ſine tali tertio principio, quod appellamus „ S. Spiritum. ſummum principium non eſſet per- „ fectum, quia natura principiandi non poſſet quieſ- „ cere per æternitatem & Infinitatem in ſolo princi- „ piante ſine principio principiato & non principian- „ te; & hoc, quia exigeret multiplicare numerum „ ſuppoſitorum in infinitum; & ſic ille numerus ſup- „ poſitorum ſemper eſſet in fieri, & non in facto eſ- „ ſe, & ſic deficeret perfectio Bonitatis, Infinitatis, „ Æternitatis &c. ratione cujus Deus non poſſet eſſe „ ſummum Principium, & ſic principiare non habe- „ ret terminum in numero â parte *poſt*, nec â parte „ *ante*; quia æqualiter æternaliter inter ſe correſpon- „ derent in numero infinita & æterna ſuppoſita, & „ ſic nulla Perſona eſſet innaſcibilis: unde privatâ in- „ naſcibilitate in ipſo, careret ſummitate principiati- „ vitatis, quod eſt impoſſibile: ergo eſt tertia Perſo- „ na, quæ procedit â Patre & Filio, ut Filius ſit prin- „ cipiatus & principans: â Patre procedit, ut Pater „ ſit æqualis Filio in Bonitate, Infinitate, Æternitate „ &c., Patre habente duas actiones, unam in gene- „ rando, aliam in ſpirando, ſicut Filius habet duas „ ſcil. unam actionem, in quantum ſpirat S. Spiri- „ tum, ut probatum eſt, & unam paſſionem, in „ quantum â Patre recipit filiationem: & ſic â ſimi- „ li convénit, quòd S. Spiritus procedat â Patre & Fi- „ lio, ut ſit æqualis Patri & Filio, & quod ſic habeat „ duas paſſiones, unam â Patre, & aliam â Filio; ſi- „ cut Pater habet duas actiones, & Filius unam actio- „ nem & unam paſſionem, ut dictum eſt: verunta- „ men non dicimus duos ſpiratores, ſed unum tan- „ tum, út probabimus.

29. *Demonſtratio* IX. *ex Tom. 2. lib. de 5. Sap. fol.* „ *6. ∫. 2.* Si Filius eſſet principiatus â Patre, & non „ principiaret S. Spiritum cum Patre, principium non „ poſſet eſſe adeò nobile in Sancta Trinitate, nec re- „ dundaret in tantâ Magnitudine Bonitatis, Æterni- „ tatis &c. Et Principium eſſet nobilius per negatio- nem,

„nem, quàm per affirmationem, poſtquam Pater „non eſſet principiatus, & Filius & S. Spiritus non „principiarent, ita, quod *non principiare* eſſet in Dua„litate Filii & S. Spiritûs, & *principiare* eſſet in Uni„tate Patris; quia ſummum principium convenit con„ſiderare cum Magnitudine Bonitatis, & Æternita„tis &c. neceſſariò ſequitur ſecundùm Nobilita„tem ſupremi principii & ſecundùm perfectionem, „quæ illi convenit, & ſecundùm fœcunditatem, quæ „eſt in dignitatibus Dei, quod illud ſupremum prin„cipium ſit triangulatum de principiante non prin„cipiato, & de principiante principiato, & de prin„cipiato non principiante.

30. *Demonſtratio* X. *ex Tom.* 2. *lib. de S. Spiri„tu fol.* 7. *c.* 4. Si Sanctus Spiritus non procederet à „Filio, ſignificaretur, quod Filius non eſſet genitus „ex toto Patre, in quantum Pater ſibi ſolùm daret „quod S. Spiritui daret proceſſionem, quod donum „eſſet improprium ad dandum Filio, & ſi Filius non „generaretur ex toto Patre, eſſet finitus & termina„tus, hoc autem eſt impoſſibile: per quam impoſſi„bilitatem ſignificatur, quod S. Spiritus ſimiliter pro„cedat à Filio, & quod Pater generet illum perfe„ctum & æqualem ſibi ipſi in dando S. Spiritui per„fectum donum, ex quo ſignificatur in Deo major „perfectio, ſi Sanctus Spiritus procedat à Filio.

31. *Dices* I. Si S. Spiritus ex demonſtratione 5. eſt medium ſubſtantiale inter Patrem diligentem Filium, & Filium mutuò diligentem Patrem, erit ſecunda Perſona in ſanctiſſimâ Triade: ſed hoc eſt contra fidem: ergo S. Spiritus non eſt medium *Nego ſequelam.* ſecunda Perſona eſt, quæ pro priori originis producitur in prima actione Patris generantis & hæc eſt Filius: ſed Spiritus Sanctus pro poſteriori originis producitur in mutuâ actione Patris in filium, & Filii in Patrem.

32. *Dices* II. Si Spiritus S. eſt medium uniens Patrem & Filium ſe mutuò diligentes: ergo in Deo erit compoſitio: hæc autem cum ſit imperfectio, in

Deo eſſe non poteſt. *Reſpondeo Negò ſequel.* compoſitio non datur in extremis infinitis, æternis &c. quia compoſitio eſt inter partes incompletas, quæ habent indigentiam, corruptionem &c. hæc omnia non conveniunt extremis infinitis, æternis, omniperfectis &c. &c.

33. *Dices* III. Si propter juſtiſſimam æqualitatem Suppoſitorum divinorum ſit tertia Perſona & S. Spiritus procedat à Patre & Filio; deberet Filius eſſe generativus æqualiter Patri, & ſimiliter S. Spiritus, qui tamen nihil ad intra poteſt producere. *Reſpondeo Nego ſequel. primò* Pater non poteſt Filio communicare virtutem generativam, quia per hanc eſſentialiter diſtinguitur à Filio; ſi ergo Filius eſſet generativus, haberet in ſe rationem diſtinctivam Patris à Filio, & ſic eſſet Pater, quod implicat. *Reſpondeo ſecundò.* Filius eſt terminus infinitus actionis generativæ in Patre, proinde adæquat & complet hanc actionem, adeoque non datur virtus generativa in aliâ Perſonâ, quàm in Patre, ex quo etiam patet diſparitas de Patre in creatis generante Filium, qui rurſus poteſt eſſe Pater alterius Filii, item aliàs non eſſet quies in Æternitate trium Perſonarum divinarum; quia deberent generari infiniti Filii in numero, quod per ſe implicat. *Reſpondeo tertiò.* S. Spiritus non poteſt eſſe productivus alterius Perſonæ, quia eſt infinitus terminus Patris & Filii, qui ſunt principium ſpirans: adeoque ſi produceretur à Spiritu S. alia Perſona, non ſuffeciſſet principio ſpiranti, & ſic non fuiſſet infinitus terminus, quod implicat: item aliàs non eſſet in Æternitate quies in tribus divinis Perſonis, quia deberent produci aliæ infinitæ numero Perſonæ, quod iterùm implicat. *Reſpondeo quartò.* Spiritus S. licèt non habeat actionem productivam alîus Perſonæ ex dictis rationibus, eſt tamen, & habet per ſuum *Are* actionem unitivam duarum Perſonarum jam exiſtentium, reſpectu quarum eſt & habet etiam *Bile*, non illud eſſentiale Filii, quod eſt in primâ actione, ſed quod eſt in mutuâ actione, quam Illumin. Doctor vocat

cat in- & reflexum. *Reſpondeo quintò* conſiſtit ergo perfecta æqualitas trium Perſonarum divinarum in hoc, quod ſicut Pater eſt perfectiſſimum *Tivum*, ita Filius perfectiſſimum *Bile* & Spiritus S. perfectiſſimum *Are.* item quod debeat dari principium principians non principiatum, & Principium principiatum non principians, & Principium principians & principiatum.

34. *Dices* IV. Secundùm naturam principii convenit, quòd unum ſit principium unius & plurium, ſicut Deus, qui eſt Unus, & principiavit Unum mundum, & multa in ipſo: & unus homo, qui principiat unum hominem, & multos, in quantum unus homo poteſt habere multos filios: & hoc idem in planta, velut arbor quæ principiat unum fructum & multos: & ideò ſecundùm naturam principii convenit, quod unum ſit principium unius & multorum, & non duo unius, per quod manifeſtatur & probatur, quòd Deus Pater ſit Principium Dei Filii, & Dei S. Spiritûs, & quòd S. Spiritus non ſit principiatus, nec exeat â Filio. Præterea Nobilitas & Bonitas, Magnitudo, duratio & aliæ dignitates numeri dualis eſt in hoc, quod, duo ſint principiata per Unum. *Reſpondeo primo* etiam dum Deus, ſupremum Principium producit creaturam, v. g. ignem, cum hoc producit alium ignem. *ſecundò* quod homo Pater producat multos filios, quin cum illo concurrat filius primus â ſe generatus, multæ ſunt rationes. non enim inter hominem Patrem & Filium intercedit reactio & nexus eſſentialis, ſicut inter Patrem divinum & ejus Filium, item homo Filius unus non eſt ſufficiens ad conſervandam ſpeciem humanam, hinc progenerantur multi Filii &c. &c. *tertiò.* Deus creaturæ non communicat ſe totum in ejus productione, ſicut ſe communicat æterno Filio, qui propterea accipit in ſuî productione virtutem ſpirativam, quæ eſt in Patre. *quartò.* Nobilitas Bonitas, Magnitudo, Duratio & aliæ dignitates numeri dualis debent eſſe in *actione*, ut Filius in ſui productione ſit fœcundus, cum Pater

78

de ſe toto illum generet: non autem debet eſſe in paſſione, qualis eſſet, ſi Filius non eſſet principians.

35. *Dices* V. Non convenit, quòd Filius juvet Patrem ad Spirationem: nam, ſi ſuum juvamen eſſet neceſſarium Patri, Pater non eſſet completus in agendo, conſequenter nec in exiſtendo. cum exiſtere & agere in Deo ſint idem: & quia Pater eſt completus in exiſtendo & agendo, probatum eſt, quod Spiritus S. ſpiretur à Patre tantùm. *Reſpondeo*, ſicut Pater non eſt completus in exiſtendo ſine Filio exiſtente, ſic nec eſt completus in agendo ſine Filio agente, cum producendo Filium ex ſe toto communicaverit ei omnia præterquam virtutem generativam, per quam eſſentialiter diſtinguitur à Filio, conſequenter etiam virtutem ſpirativam communicavit; hæc ratio reſponſionis non debet extendi ad ſpiritum S.; hic enim eſt nexus ſubſtantialis ac terminus mutuæ actionis inter Patrem & Filium, & complet totam actionem divinam: non compleret autem, ſi etiam ipſe Spiritus S. foret productivus. vide hìc ſupra num. 33.

36. *Dices* VI. Si S. Spiritus procederet â Filio, videtur, quòd Pater ſcindat ac dividat ex ſe ſuam proprietatem perſonalem; & id, quod partitur ex ſe, communicet Filio; & ſic non remanet integrè unus Pater, nec Filius ſimiliter unus Filius; & quia in Paternitate non eſt partitio aut ſciſſio, non poteſt communicare Filio id, quod pertinet propriè ad ſe ipſum ſcil. ipſum ſolum ſpirare. *Reſpondeo Nego ſequelam.* Pater non communicat Filio Virtutem Spirativam *non communicatam*, qualem ipſe indiviſibiliter retinet: ſive, ut terminis utar Lullianis, Virtus Spirativa fundata in puro *Tivo* remanet indiviſibiliter in Patre: fundata verò in *Bile* & *Tivo* communicatur Filio.

37. *Dices* VII. Si Spiritus S. exit â Patre & Filio, habet unam proprietatem â Patre & etiam â Filio; ſicut Filius, qui habet unam proprietatem, in quantum generatur â Patre ſolo; & ſi S. Spiritus habet duas proprietates, & Filius unam tantùm, S. Spiritus eſt major,

major, quam Filius; & una Perſona eſt compoſita ex duabus proprietatibus, quod eſt impoſſibile. *reſpondet ad hanc objectionem ipſe Beatus Doctor Tom. 2. lib. de 5. ſapi. fol. 13. §. ult.* „Pater habet proprietatem „generativam & proprietatem ſpirativam; veruntamen ſpirativam habet cum Filio, quia eſt communis proprietas ambobus; &, ſi eſſet propria Patri „ſine Filio, conveniret, quòd Pater eſſet gemina „Perſona, ut utraque Proprietas reſponderet Perſonæ; ſicut genitum eſſe, quod reſpondet Perſonæ, „& exire, quod in S. Spiritu reſpondet Perſonæ; & „quia non convenit, quod Pater ſit duæ Perſonæ, „habet cum Filio Proprietatem ſpirativam, quæ eſt „communis ipſis duobus: unde in hoc, quod dicis, „quòd S. Spiritus habeat unam Proprietatem â Patre, „& aliam â Filio, verum eſſet, ſi Spiratio non eſſet „Proprietas communis; ſed quia eſt Proprietas communis Patri & Filio per unum principium, per unam „Bonitatem, Magnitudinem &c. &c. S. Spiritus non „poteſt recipere duas Proprietates diſtinctas, unam „â Patre, & alteram â Filio.

38. *Dices* VIII. Si Filius ſpiret Spiritum S., bonificat & magnificat illum: ergo S. Spiritus non eſt per ſe bonus, magnus &c. nec per Patrem tantùm, quoniam bonificare eſt de non bono facere bonum, & magnificare eſt de non magno facere magnum, quod de ſpiritu S. dici non poteſt. *Reſpondeo* I. ergo ſpiritus S. â nullâ Perſonâ produceretur, & ita eſſet Pater, quod nequidem Græci admittunt. *Reſpondeo* II. Argumentum tenet ſolum in creaturis, quæ tranſeunt de nihilo ad eſſe, non de Perſonis æternis.

39. *Dices* IX. Patre generante Filium, in generatione omnes dignitates ſunt activæ in Patre, qui Pater eſt ipſæ dignitates, & in Filio omnes ſunt paſſivæ, qui Filius eſt eædem dignitates: nam Pater dat ipſas omnes Filio; & ſi S. Spiritus exeat â Filio, ſequitur in dignitatibus alteratio & mutatio, quia cum in Filio ſint paſſivæ, de paſſivis convertuntur mutantur & alterantur in activas, in quantum Filius ſpi-

179

rat Spiritum S. & Ei dat ipſas; & ſic mutatur totus ordo dignitatum, quod eſt impoſſibile, ergo Filius non ſpirat Spiritum S. *Reſpondet B. Doctor Tom.* 2. *lib. de* 5. *ſap. fol.* 18. *§. reſpondet latinus.* non ſit mutatio vel alteratio per modum generandi, nec per modum ſpirandi; quia, ſicut eſt perpetua actio generandi & ſpirandi, ſic eſt perpetua actio, quam habent Pater & Filius in ſpirare; in æternitate autem non eſt mutatio.

40. *Dices* X. Si Pater generat Filium, & ſpirat Spiritum S. Pater eſt major, quam Filius per proprietatem generativam, & per proprietatem ſpirativam, qui ſunt duo actus, quos non habet Filius. *Reſpondeo* licet Pater habeat Virtutem generativam & ſpirativam, & Filius tantùm ſpirativam, propterea Pater non eſt major Filio, quia etiam Filius habet generabile, quod Pater non habet, nec Generativum eſt perfectius Generabili; cum neutrum ſine alio ſit perfectum, ſed quodvis ex infinitâ perfectione aliud exigit.

§. III.

Quòd tantùm Tres ſint in Deitate Perſonæ.

CUm RESOLUTIO & probatio hujus materiæ jam ſufficienter ex §. priore colligi poſſit, afferemus 4 tantùm demonſtrationes ex ipſomet Illuminato Doctore.

41. *Demonſtratio* I. *ex Tom.* 4. *Lib. de Quæſt. per artem demonſtr. ſolubil. fol.* 37. *colum.* 1. „De conditione Dei Patris eſt, quòd ipſe ſit unus Pater ratione „Unitatis & Simplicitatis ipſius infiniti & æterni Principii, quod convertitur cum Patre; igitur eſt impoſſibile, quòd in Deo ſint plures Patres, quàm „Unus; & cùm Deus Filius ſit Unus Filius ratione „unius Patris dantis ei totam Unitatem ipſius æterni „& infiniti principii, ut ſupra patet, eſt impoſſibile, quòd

„quòd in Deo ſint plures Filii quam Unus; & cùm „etiam S. ſpiritus totus ſpiretur â Patre & Filio de „una infinita ſpiratione vel proceſſione vel productione amborum, procedit Spiritus S. Unus & non plures ratione ipſius unius infiniti & æterni Principii, „quod Pater & Filius dant illi totum. Igitur eſt impoſſibile, quòd in Deo ſint plures Patres, plures „Filii, & plures Spiritus Sancti, ſicut plura eſſentialia & infinita & æterna principia: Igitur eſt neceſſarium, quòd in Deo ſit unus Pater tantùm, & Unus „Filius tantùm, & unus Spiritus Sanctus tantùm. „Si autem eſt quaternitas in divinis, neceſſariò convenit, quòd illa ſit ratione alterius principii, quod „non eſt Generatio nec Proceſſio in divinis; cùm „ratione unius Generationis non poſſit eſſe, niſi unus „Pater & unus Filius, & ratione unius Proceſſionis „unus S. Spiritus, quæ ſcil. Proprietas non ſit ratione Generationis; quia Generatio eſt perfecta in „ſe ratione ſuî & ſuæ Proceſſionis: nec ſit ratione „Proceſſionis, quia Proceſſio eſt perfecta ratione ſuî „& ipſius Generationis: nam ſi eſt alia Proprietas in „Deo â prædictis, non communicabit cum eis in eodem fine; & ſic erit aliud principium & alia eſſentia â prædictis ſuperflua in Deo, quod eſt impoſſibile: igitur eſt neceſſarium, quod in Deo ſit Trinitas tantùm, quæ conſiſtit ex poſitione unius Patris, „unius Filii, unius Spiritûs S. & non ultra.

42. *Demonſtratio* II. *ex eod. Tom.* 4. *lib. Apoſtr.* „*de Articulis fidei fol.* 36. „Omnia illa, quæ ſunt in „divinis, ſunt perfectiſſima, & in ſummo *eſſe*: ſed ſi „eſſent in divinis plures Patres, vel plures Filii, vel „plures Spiritus ſancti, aut eſt neceſſarium, quòd „ſint plures Patres, vel plures Filii, vel plures Spiritus Sancti, aut non? ſi non eſt neceſſarium, quòd „ſint plures, non ſunt; nam omne id, quod eſt in „divinis, eſt neceſſarium, & non contingens: ſi eſt „neceſſarium, quòd ſint plures, in nullo reperitur „perfecta completa & coæqualis ratio Paternitatis, „Filiationis & Spirationis, & per conſequens nullus

eſt

80

„eſt perfectus Pater, nullus perfectus Filius, nullus „perfectus Spiritus Sanctus, poſtquam non ſufficit „unus Pater, unus Filius, & unus Sanctus Spiritus: „ergo nullus eſt perfectè bonus, nullus perfectè producit, nullus perfectè producitur, nullus perfectè „dat, nec recipit, ſed hoc eſt impoſſibile: igitur „non eſt quarta vel ulterior Perſona, quæ ſit Pater, „vel Filius, vel Spiritus Sanctus. Si autem dicitur, „quòd ſit quarta Perſona, vel ultra, quæ non ſit Pa„ter, nec Filius, nec Spiritus Sanctus, talis Perſo„na non erit producta â Patre & Filio & Spiritu S., „in quantum Pater & Filius & Spiritus S., poſtquam „Perſona producta non erit Pater, nec Filius, nec „Spiritus S., cùm tamen omnis actio ſit ſuppoſito„rum. Si autem dicitur, quòd non producatur â tri„bus Perſonis, ſed ab una vel duabus, ſequitur idem „inconveniens, quod priùs, & ultra hoc ſequitur, quòd „Perſona producta magis immediatè & cum majori „amore & germanitate adhærebit illi vel illis, â quâ „producitur, quàm â quâ non producitur.

43. *Demonſtratio* III. *ibid. num.* 5. „Omnis ratio „Principii activè & paſſivè ſumpta, ſi perfectè & ſe„cundùm totam ſuam rationem ſumatur, de neceſſi„tate requirit tres terminos, ſcil. Principium princi„pans & non principiatum, ut nihil ipſum præce„dat, aliàs eſſet proceſſus in infinitum â parte ante, „& Principium principiatum non principians, aliàs „proceſſus in Infinitum â parte poſt, & Principium „principiatum principians, quod eſt medium inter „ea, & ſapit naturam utriuſque, nec poteſt pluri„bus, quàm iſtis tribus modis dici vel eſſe Princi„pium, nec ſine iſtis tribus modis poteſt tota & per„fecta ratio Principii reperiri: ſed in Deo eſt totalis „& perfectiſſima ratio Principii; igitur in divinis erit „principium principians & non principiatum, & „iſtud principium dicimus Patrem (probabitur etiam „infra. ubi agetur de generatione & ſpiratione divi„na, primam perſonam vocandam eſſe Patrem, Se„cundam Filium, Tertiam Spiritum S.) & Princi-

„pium

„pium principiatum non principians, & iſtud dici-
„mus S. Spiritum, & Principium principiatum ſimul
„& principians, & iſtud dicimus Filium, ergo tres
„ſunt Perſonæ & non plures in Deo.

44. *Demonſtratio* IV. *ex Tom.* 2. *lib. de* 5. *Sap. fol.*
„40. *num.* 5. „Convenit, quòd ille numerus ſit in
„divinis, in quo eſt major relatio, quæ poſſit eſſe;
„ſed major relatio, quæ poſſit eſſe, eſt in unâ Pater-
„nitate, in unâ Filiatione, in unâ communi Spira-
„tione; nam eſt major relatio unius Paternitatis ad
„unam Filiationem, quam plurium ad plures, cum
„una ſingularis Paternitas, quæ poteſt eſſe infinita
„ſit major, quàm plures, quæ neſſariò eſſent limi-
„tatæ & parvæ (nam Filius ab una Paternitate pro-
„ductus infinitè huic affectione adhæreret, non alte-
„ri, â quo non eſt productus) idem eſt de unâ ſin-
„gulari Filiatione & de unâ ſingulari ſpiratione ex
„ambobus, ſicut in ſpecie humanâ, in quâ ſunt plu-
„res patres, & plures Filii, quorum quilibet eſt ne-
„ceſſariò limitatus, & non eſt tanta relatio, ſicuti in
„Eſſentia divinâ, ſi in ipſa eſt unica & ſingularis Pa-
„ternitas & non plures, & unica & ſingularis Filia-
„tio & non plures, & unica ſingularis Spiratio, &
„non plures: ſed cùm conveniat numerum divina-
„rum Perſonarum eſſe in majore relatione, quæ
„poſſit eſſe, ut Magnitudo Bonitatis, æternitatis &c.
„ſufficiat majori numero, & majori relationi, neceſ-
„ſariò convenit, quòd numerus ternarius ſit in Deo,
„qui vocatur S. Trinitas Dei, quæ Trinitas eſt unius
„Paternitatis, unius Filiationis, & unius Spirationis;
„quæ tres proprietates ſunt unus Deus, & unus Deus
„eſt omnes tres ſine multiplicatione quaternarii nu-
„meri.

45. *Dices.* Ex hoc ſequitur, quod S. Spiritus totus remaneat ſingularis paſſivus ita, quod nec generet, nec ſpiret: ergo Filius eſt nobilior in Magnitudine Bonitatis, Æternitatis, poteſtatis &c. quàm S. Spiritus; nam Filius eſt paſſivus ratione generationis, & activus ratione ſpirationis; S. Spiritus verò

non

81

non eſt activus, nec ſpirando, nec generando: ergo eſt minor, quàm Filius, quæ minoritas eſt impoſſibilis. *Reſpondeo. Nego conſequentiam. primò* ſi Spiritus S. producat novam Perſonam vel generando, vel ſpirando, nec Pater in infinita generatione, nec Pater & Filius in Infinitâ Spiratione eſſent perfecti, cùm non haberent in Spiritu S. infinitum coæqualem terminum. *Secundò* ſequeretur, quod detur proceſſus in Infinitum â parte poſt in producendis numero infinitis Perſonis, & ſic nulla divina Perſona haberet in actione ſuâ quietem, & quietam fruitionem. Ex hoc ergo, quòd S. Spiritus non ſit productivus novæ perſonæ, non ſequitur minoritas ſed ſumma æqualitas: ſicuti enim Pater in quantum eſt generativus, ita & in tantum Filius eſt generabilis: & ſicuti & in quantùm Pater & Filius eſt unum Principium ſpirativum, ita & in tantum S. Spiritus eſt ſpirabilis; & ſicuti S. Spiritus â Patre & Filio ſpiratus eſt, ita illis per ſe ſpiratum dat quietem, ut perfectè tres Perſonæ ſe invicem fruantur. *tertiò*, quamvis S. Spiritus non ſit productivus novæ Perſonæ, non tamen eſt purè paſſivus. in quantum eſt ipſum *producere* Patris productivi, & Filii producibilis, & eſt ipſum *unire* Patris & Filii ſe mutuò diligentium.

§. IV.

Quòd tres Perſonæ in divinis ſint tantùm unus Deus.

26. QUamvis ex factâ demonſtratione tres tantùm eſſe in Deitate Perſonas jam ſatis appareat, Deum eſſe tantùm Tri-unum & Uni-Trinum, ſive Deitatem eſſe Tri-unam, & Uni-Trinam; ad exhibendam tamen Doctrinæ Lullianæ in faciendis demonſtrationibus fœcunditatem, Unitatem Dei hîc viſum eſt quatuor tantùm Argumentis demonſtrativis evincere.

47. *Demonſtratio* I. *ex Tom.*4. *lib. Apoſtr. de Artic. fidei fol.* 32. „Illud Ens eſt ſummè bonum, quod „eſt ſupra omne bonum: ſed ſupra probavimus, „quod de neceſſitate ſit Ens ſummè bonum: ergo „ipſum eſt ſupra omne bonum: non autem eſſet „ſupra omne bonum, ſi eſſent duo vel plura ſumma „bona, cum ſummum non ſit majus ſummo, ergo „eſt tantùm unum ſummum bonum, ergo eſt tantùm „Unus Deus.

48. *Demonſtratio* II. *ibid. num.* 2. ſi ſunt plures „Dii, ſunt plura entia infinita, Deus enim eſt ens „infinitum: ſed eſt impoſſibile, quod ſint plura En„tia infinita, quia ſi eſſent plura entia infinita, unum „eſſet extra aliud, & cùm infinitum dicatur, quod „nullâ menſurâ poteſt menſurari, menſura unius non „comprehenderetur â menſura alterius, & ſic una men„ſura ſupergrederetur aliam, & ita neutrum eſſet in„finitum, cùm extra infinitum nihil ſit: ergo eſt im„poſſibile, quod ſint plures Dii, & ſic eſt unus Deus „tantùm.

49. *Demonſtratio* III. *ibid. num.* 4. ſi ſunt plures „Dii, ſunt plures omnipotentes, ſed eſt impoſſibile „quod ſint plures omnipotentes, ergo eſt impoſſibi„le, quod ſint plures Dii, ergo eſt neceſſarium, quod „tantùm unus ſit Deus: patet autem, quod ſit im„poſſibile, quod ſint plures omnipotentes, nam aut „potentia unius eſt potentia alterius, & ſic non plu„res ſunt eſſentialiter omnipotentes; ſed Unus; aut „potentia Unius non eſt potentia alterius; ſed ſunt „potentiæ diverſæ, & ſic nullus eſt omnipotens; „unde, quod poteſt unus, non poteſt alius, & ſi„militer, quia neuter eorum poteſt non dominari „ſine alio, cum cuilibet competat dominari, quid quid ſit, ideo neuter illorum erit Dominus, nec om„nipotens.

50. *Demonſtratio* IV. *ibid. num.* 5. eſt impoſſibi„le, quòd ſint plura Entia omniperfectione perfecta, „ſed ſi ſunt plures Dii, ſunt plura Entia omniper„fectione perfecta, cùm ita ſit, quod intelligamus

Deum

82

„Deum omniperfectione perfectum: ergo eſt im-„poſſibile, quod ſint plures Dii, ergo eſt neceſſa-„rium, quòd ſit unus Deus tantùm: quòd autem ſit „impoſſibile, quòd ſint plura entia omni perfectio-„ne perfecta, patet, quia ſi in quolibet eſſet omnis „perfectio, quidquid perfectionis eſſet in uno, eſſet „etiam in alio; ergo in omnibus eſſet una & eadem „perfectio, ergo non ſunt plura in perfectione, nec „plura perfecta, ſed Unum: ſi autem dicitur, quòd „perfectio, quæ eſt in Uno, non ſit in alio, tunc in „nullo erit omnis perfectio, imo cuilibet deficiet om-„nis perfectio, quia in quolibet ponitur omnis per-„fectio.

ARTICULUS III.

Solvuntur Argumenta â Scholis Doctrinæ Lullianæ adverſis ſupra artic. I. allata.

51. AD *Rationem primam num.* 3. viri ex omni Ordine & Religione Reverendiſſimi, Illuſtriſſimi & Eruditiſſimi adeò intellexerunt illos terminos, ut Doctrinam Lullianam innumeris celebrârint Encomiis: ex *Societate JEſu* præcipuè Doctores celebriores, qui in Tom. I. magni Operis Lulliani fideliter citati videri poſſunt, Eandem Beati Lulli Doctrinam non tantùm cùm admiratione laudârunt, ſed Theologis impensè commendârunt; unde, quòd aliqui moderni Doctores illos barbaros, ut vocant, terminos, non ſatìs capiant, vel tribuendum eſt infortunio, quod ſub infelici ſydere nati ſint, ſub quo ſæpiùs barbaries regnat; vel adſcribi debet obſtinationis vitio, ſive ſtudio partium nimis tenaci. Inveniant autem Adverſarii, & ſuggerant nobis aptiores de hoc Ss. Triados Myſterio terminos, & tunc audient Filii ſapientiſſimis patribus ſuis ſapientiores.

52. *Ad Rationem* II. *num.* 4. *diſtinguo min.* bonificare eſt actus bonificativi agentis in primâ actione ad

ad Filium *Nego.* in reactione, qua Pater & Filius ſe mutuò diligunt *Concedo.* Reſponſio patet ex dictis hìc.

53. *Ad Rationem* III. *Nego conſequentiam.* Nego etiam, quod infertur. Verum eſt, quod pari Jure dicam in Deo eſſe generativum, generabile & generare: ſed, cùm generativum & bonificativum, generabile & Bonificabile, generare & bonificare ſint idem, conſtat non plures eſſe, quàm tres in Ss. Triade Perſonas: porro in Deo datur ſpirativum, ſpirabile & ſpirare: Pater eſt ſpirativus cum Filio, ut probatum eſt, Spiritus S. eſt ſpirare, & quia exiſtens ſpirare eſt complementum actionum Dei ad intra & quies eſſentialis, ſimul eſt ſpirabilis; nam ſicut Pater eſt generativus & ſpirativus cum Filio, & Filius eſt generabilis & ſpirativus cum Patre, ita ſpiritus S. eſt ſpirare & ſpirabile, quia Spiritus S. eſt actus amoris Patris in Filium, & reactus Filii in Patrem; & ideo per *Are* exiſtèns ſimul *bile*, quod eſt ſpiritus S., ſignificatur influxus amoris Patris amativi in Filium, & per *bile* exiſtens ſimul *are*, quod eſt idem Spiritus S., ſignificatur refluxus Filii amabilis in Patrem amativum: aliàs enim non ſalvaretur æqualitas Magnitudinis & perfectionis inter *Tivum* & *bile*, *Tivum* & *are*: & inter *bile* & *Tivum*, *bile* & *are*: & inter *are* & *Tivum*, *are* & *bile*. hoc itaque bene conſiderato, unde nunc erues plures, quàm tres Perſonas?

QUÆSTIO III.

Quid ſit divina Generatio & Spiratio, & cur prima Perſona. *nominetur Pater, Secunda Filius, Tertia Spiritus Sanctus.*

1. S*Tatus quæſtionis eſt primò.* An prima Perſona ideo ſit Pater, quia per ſolum Intellectum tanquam Principium propinquum *ut quo* producit Se-

cundam Perſonam in identitatem Naturæ: & an ideo Secunda Perſona ſit Filius, quia ſic producitur. *Secundò.* Quæritur an Tertia Perſona ideo ſit S. Spiritus, quia procedit â ſolâ voluntate Patris & Filii. *Tertiò.* quis ſit conceptus eſſentialis Generationis & Spirationis divinæ.

ARTICULUS I.

Reſolutiones hujus Quæſtionis ex Scholis Anti-Lullianis.

2. RESOLUTIO I. Filius Dei ideò eſt Generatus, quia producitur â prima Perſonâ in identitatem naturæ ita, ut procedat â ſolo Intellectu Patris tanquam Principio formali *ut quo* propinquo.

3. *Ratio* I. *ex Scholis Thomiſtica & Suareſiana,* De eſſentia Intellectivi divini & intelligentis ùt talis, eſt eſſe aſſimilativum ſuî, & producere terminum, qui vi ſuæ productionis eſt imago intentionalis expreſſa ſui principii; & econtra de eſſentia volentis ùt talis non eſt producere terminum, qui ſit imago intentionalis expreſſa ſui principii, ſed tendere vitaliter, & propendere in objectum, quod amatur: atqui Generatio in divinis eſſentialiter eſt intellectiva: ergo eſſentialiter aſſimilat terminum generatum ſibi: ergo per hoc formaliter ſecunda Perſona dicitur genita, quod ſit imago intentionalis perfectè ſimilis Patri.

4. *Confirmatur.* S. Damaſc. in Oratione tertia de Imaginibus ait: *Filium Dei eſſe imaginem nativam & nulla re diſcrepantem Patris, per omnia Ei ſimilem exceptô ingeniti proprietate.* nixus eſt hic S. Pater ſacrâ ſcripturâ: ita enim Apoſt. ad Coloſſ. 1. ſcribit de Filio: *qui eſt imago Dei inviſibilis.*

5. *Ratio* II. Ex Scholâ Scotiſtica apud R. P Henno. Generatio eſt opus naturæ: ergo debet naturaliter procedere, ſeu ab agente naturali, quale eſt intel-

tellectus, qui eſt naturaliter ad agendum determinatus: atqui Voluntas etiam divina non eſt agens naturale, ſed voluntarium & liberum libertate eſſentiali etiam reſpectu Proceſſionis Spiritus S. ergo &c. &c.

6. RESOLUTIO II. Ideò Spiritus S. eſt ſpiratus, quia procedit à ſolâ voluntate Patris & Filii tanquam Principio formali *quò* propinquo.

7. *Ratio.* Spiritus S. dicitur paſſim à ſanctis Patribus *Amor*, *Impulſus Patris & Filii*, ſed amor procedit à ſolâ voluntate, ergo Spiritus S. procedit à ſolâ voluntate Patris & Filii.

ARTICULUS II.

Reſolutiones ejuſdem Quæſtionis ex Scholâ Lullianâ.

8. RESOLUTIO I. In Generatione Filii Dei non datur in Patre principium *quò* formale remotum, quod dicunt eſſe Naturam ſive eſſentiam divinam in Patre, & Principium formale *quò* propinquum, quod putant eſſe ſolum intellectum Patris: & denique Principium formale *quod* proximum, quod credunt eſſe ipſam Paternitatem.

9. *Ratio.* omnia quæ ſunt in Patre, omnes divinæ Rationes ſunt in Patre ſummè idem: cùm Deus Pater ſit Ens ſimpliciſſimum: ergo non poteſt ſine fictione uni in actione tribui propinquitas Principii, alteri remotio, uni Principium *ut quò*, alteri *ut quod*. alias idem eſſet propinquum & remotum, unum in remotione minus altero propinquo, quod totum eſt impoſſibile.

10. RESOLUTIO II. Filius Dei non generatur à Patre per ſolum Intellectum tanquam Principium formale *quò*

11. *Ratio* I. Eſt ex iiſdem principiis Lullianis ordinatiſſimè ita inter ſe connexis, ut ubique fortiſſimè intellectum noſtrum ſtringant ad Aſſenſum. Pa-

84

ter generat Filium de ſe toto, aliàs in agendo eſſet diviſus, cum tamen non ſit diviſus in exiſtendo, utpote Ens ſimpliciſſimum: ſed intellectus Patris non eſt totus Pater: ergo intellectus Patris non eſt ſolum Principium *quo* propinquum in Generatione Filii; ſive Pater non generat Filium per ſolum intellectum tanquam principium formale *quo*.

12. *Confirmatur.* Concil. Tolet. 15. dicit *Filium eſſe de Eſſentia Patris natum, Eſſentiam de Eſſentia, Naturam de Naturâ, Voluntatem de Voluntate; quia non eſt aliud Dei Voluntas, quàm Natura:* ergo non de ſolo Intellectu.

13. *Ratio* II. In Patre Voluntas & Intellectus uti & Libertas, Neceſſitas, Bonitas, Poteſtas omneſque aliæ dignitates divinæ ſunt ſummè idem: ergo ſi Intellectus eſt principium formale *quò* proximum, etiam tale eſt Voluntas, aliàs mens noſtra fingeret de uno attributo aliquid affirmando, & de altero attributo negando, quod tamen ſummam cum eo habet identitatem realem.

14. *Ratio* III. Pater non minus intelligit Filium, quàm Eum amet: aliàs faceret injuriam Filio contra ſuam Juſtitiam, qui meretur ob infinitas perfectiones infinitè amari: ergo æquè per Intellectum quàm per Voluntatem Pater generat Filium.

15. RESOLUTIO III. Spiritus S. non procedit â Patre & Filio per ſolam Voluntatem Patris & Filii tanquam principium formale *quo*

16. *Ratio eſt* ex iiſdem plane principiis: Pater non minus diligit Filium quàm Eundem intelligat, nec Filius Patrem minùs reamat, quàm illum reintelligat: ergo æqualiter Spiritus S. procedit â Patre & Filio per Intellectum ac per Voluntatem utriuſque, æqualiter etiam per Omnipotentiam, Omniſcientiam ſpirativam utriuſque. vide rationes reſolutionis proximè ſuperioris.

17. RESOLUTIO IV. Filius Dei ideo generatur, quia procedit â ſolo Patre immediatè immediatione originis in ſimilitudinem eminentialem ſive in Iden-

Identitatem naturæ fœcundæ ad agendum & producendum.

18. *Ratio primæ partis ex Tom. 4. lib. Apoſtr. de Artic. fidei fol.* 33. §. *Quare Perſona*: Omne illud, quod „producitur de eſſentia alicujus ſecundum operatio„nem naturæ, & ſecundum principalem modum & „ordinem procedendi, & eſt in eadem Eſſentiâ & „Naturâ cum producente, dicitur & eſt Filius pro„ducentis, & producens dicitur Pater, cùm ſint rela„tiva; ſicut videmus & dicimus, quòd homo gene„ratus ab alio homine dicitur ejus Filius, â quo eſt „immediatè generatus, quia eſt de Eſſentia generan„tis, & educitur ab eo in *eſſe* per naturalem genera„tionem, & participat cum illo ſecundùm ſpeciem „eandem Eſſentiam & naturam, & procedit ab eo „ſecundùm principalem modum, & ordinem proce„dendi, quia ab eo procedit per Generationem & „immediatè: & ſi homo generatus, â patre haberet „animam, per quam eſt homo, veriori & perfectio„ri modo eſſet Filius ejus: & ſi eſſet â patre ſecun„dum totam ſubſtantiam & ſine adjutorio matris, „adhuc veriori & perfectiori modo eſſet ejus Filius, „ſi haberet eandem eſſentiam cum eo & ab eo adhuc „veriori & perfectiori modo eſſet Filius ejus, & per „conſequens pater eſſet veriori & perfectiori modo „pater: unde, cùm Deus ratione ſuæ ſummæ No„bilitatis, Actualitatis & fœcunditatis producat de ſe „toto æqualem ſibi per omnia & naturaliter (nam „probatum eſt, quòd Deus ſit Deus in agendo ſicut „in exiſtendo) ſic etiam iſta productio eſt ſecundum „principalem modum & ordinem procedendi, quia „ſicut Dualitas eſt prior, quàm Trinitas, ſic proceſ„ſio Unius de Uno per modum generationis, eſt prior ordine naturæ (non imperfecta illâ, quàm convenientem creaturis definiunt Scholæ Anti Lullianæ, quod detur in eo, qui tribuit alteri exiſtentiam contingentem; ſed ſumitur hìc pro prioritate originis ſive naturalis proceſſionis) quàm proceſſio, „quæ non eſt per modum generationis, nec Unius

„de

„de uno, ſed Unius de duobus, igitur veriſſimè in „divinis in productione, quâ unus producitur ab „Uno, productus dicitur Filius, & producens Pa„ter, & tantò veriori modo, quam in rebus creatis, „quantò veriori modo omnia prædicta inveniuntur „in divina generatione.

19. *Ratio ſecundæ partis* concernens illas particulas: *in Identitatem naturæ fœcundæ ad agendum, ſive ad producendam aliam Perſonam.* Filius non eſt genitus niſi producatur in eminentialem & perfectiſſimam ſimilitudinem ſive identitatem naturæ ejuſdem cum Patre: ſed, ſi non acciperet naturam fœcundam in agendo â Patre, non eſſet Patri perfectiſſimè in naturâ ſimilis: ergo pertinet ad eſſentialem conceptum Generationis divinæ, quòd Filius accipiat â Patre naturam fœcundam ad agendum. Hanc ſententiam etiam tenet Richardus â S. Victore in ſuis lib. de Trinitate.

20. *Dices* I. Ergo etiam Filius, ut ſit Patri perfectiſſimè ſimilis, deberet ab eo accipere Paternitatem. *Reſpondeo Nego ſequelam.* Paternitas eſt *Tivum* innaſcibile, quod non poteſt communicari Filio; aliàs eſſet Filius, ùt ſupponitur, & non eſſet, quia foret innaſcibilis.

21. *Dices* II. Filius ùt Filius relativè opponitur Patri, ſed ùt ſpirans ſive per naturam fœcundam ad agendum non opponitur relativè Patri: ergo per hanc non conſtituitur in *eſſe* Filii. *Reſpondeo Diſtinguo minorem.* Per naturam fœcundam & per virtutem ſpirativam ùt communicatam & productam non opponitur Patri *Nego.* ùt innaſcibilem & incommunicatam. *Concedo.*

22. *Dices* III. Filius ratione ſuæ proprietatis opponitur Patri: ergo per eam non eſt ſimilis Patri, ſed potius diſſimilis. *Reſpondeo Diſtinguo antecedens,* opponitur contrariè *Nego.* Relativè ùt imago eſſentialis ac ſubſtantialis ſuo principio producenti *Concedo.* Diſtinctio eſt inter utrumque producentem & productum, ſed hæc diſtinctio non tollit ſimilitudinem,

ſed

ſed eam potius fundat, ùt patet in Patre & Filio creato: in divinis autem non tantum eſt ſimilitudo, ſed Identitas Naturæ: cùm Pater & Filius & Spiritus S. *Tivum* ſcilicet *Bile* & *Are* ſimul, ſint Unus Deus: igitur aliud eſt diſtingui Perſonas divinas, aliud diſtinctas eſſe diſſimiles, quod tunc fieret, ſi una non reciperet tantum ab altera, quantum poteſt recipere.

23. *Dices* IV. Generatio debet eſſe â Principio actualiter vivente; ſed Pater pro priori ad Generationem Filii non eſt actu vivens, quia actualiter vivens debet prius eſſe conſtitutus in ſuo *eſſe* proprio & natùrali, Pater autem in hoc ſuo *eſſe* conſtituitur per ipſam Generationem Filii: ergo pro priori non habet *eſſe* completum Patris. *Reſpondeo Diſtinguo Probationem.* Pater in hoc ſuo *eſſe* conſtituitur per ipſam generationem Filii activam, quæ eſt origine prior *Concedo.* paſſivam *Nego.*

24. RESOLUTIO V. Tertia Perſona ideo eſt & dicitur Spiritus S., quia procedit â Patre & Filio, in actione & reactione ad ſe invicem per omnes dignitates Dei; ut ſit Eſſentia perfecta divina Tri-una & Uni-Trina quoad omnes qualitates eſſentiales: Ne una earum ſit aut otioſa aut in privatione ſeu defectu operationis. Hinc B. Lullus non ex ſolo Amore ſed ex aliis etiam dignitatibus Dei probavit Proceſſionem S. Spiritûs: aliquas tantùm rationes afferemus.

25. *Demonſtratio* I. *ex Tom.* 4. *lib. de Quæſt: per* „ *artem demonſtr. ſolub. fol.* 34. *num.* 9. „ In Deo de eadem „ infinita ſimilitudine Patris & Filii procedit S. Spiri- „ tus infinita ſimilitudo Patris in Filium, & reſpira- „ tur infinita ſimilitudo Filii in Patrem, Patre de toto „ ſe ipſo fruente Filio, & è converſo, & ſic S. Spiritus „ procedit ex Patre Similitudo Patris in Filium, & „ procedit ex Filio ſimilitudo Filii in Patrem; ergo S. „ Spiritus eſt ſimilitudo de Similitudine, Deus de „ Deo procedens, ſimilis ex ſimilibus, ſuppoſitum „ ex ſuppoſitis, permanens in Patre & Filio Unus „ Deus per infinita ſæcula Benedictus. NB. Hæc & ſequentes demonſtrationes ſupponunt jam demon-

 ſtra-

86

ſtrationes alias de Spiritu S., quòd procedere debeat ex Patre & Filio, quales attulimus quæſt. 2. §. 2.

26. *Demonſtratio* II. *ex Tom.* 4. *lib. Apoſtr. de* „ *Artic. fidei fol.* 35. *num.* 1. Probavimus ſuperiùs, „ quòd ex amore Patris ad Filium & è converſo pro- „ cedat tertia Perſona, quam appellamus S. Spiritum: „ nam ſicut quando duo homines mutuò & intimè ſe „ diligunt, fit communicatio ſpiritum eorum, & qui- „ dam intimus & æſtuans impulſus amoris eorum, „ propter quod & illi dicuntur habere unum ſpiri- „ tum, qui idem amant, & idem affectant, cum ami- „ citiæ ſit idem velle: ſic, quia Pater amando filium „ intimâ & ſummâ dilectione, cum ſit ſumme bonus, „ & Filius amando Patrem intimâ & ſumma dilectio- „ ne ad invicem in iſto amore communicant, Perſo- „ na procedens per modum mutui & intimi amoris, „ dicitur ſpiritus; quia, ſicut ſpiritus vitalis eſt nexus „ & Unio corporis & animæ, ſic, imo nobiliori mo- „ do S. Spiritus eſt nexus Patris & Filii, & non dici- „ tur Filius, quia eſt alius modus in divinis, quo unus „ procedit ab uno per modum Generationis, & alius, „ quo unus procedit ab illis duobus per modum A- „ moris.

27. *Demonſtratio* III. *ibid. num.* 2. „ Dicitur etiam „ & appellatur *Sanctus*; quia eſt opus ſanctificationis, „ & procedens ex ſanctificatione; quia Pater diligen- „ do Filium ſummo & intimo & æterno Amore eſt „ innocens Filio, & Filius diligendo Patrem ſummo „ & intimo & æterno Amore eſt innocens Patri; & „ quia ex iſto mutuo & intimo Amore, quo Pater „ eſt innocens Filio & è converſo: procedit; dicitur „ *Sanctus*: quia ſicut eſt ex naturâ ſpirativâ amborum, „ ſic eſt ex naturâ ſanctificativâ amborum.

28. *Demonſtratio* IV. *ibid.* „ Dicitur *Sanctus*, „ quia innocens, quia adeò perficit & complet nu- „ merum divinarum Perſonarum, quod non poſſint „ eſſe plures, quàm tres, nec pauciores, ſicut jam „ demonſtratum eſt.

29. *Dices.* Etiam Spiritus S. procedit ùt Deus

à Patre & Filio: ergo, cùm vi ſuæ Proceſſionis ſit ſimilis ſuo Principio, debet dici generatus. *Reſpondeo I. Nego* ſuppoſitum, quòd ſecunda Perſona ideo dicatur generata, quia vi ſuæ Proceſſionis eſt ſimilis ſuo Principio. ideò Patres Græci, ad quorum ſententiam ſe aliquando etiam accommodavit *Concilium.* Tridentinum, Spiritum S. vocarunt *Imaginem*, alii *Verbum Filii*: ſed ideò Filius Dei eſt & dicitur generatus, quia procedit immediatè â ſolo Patre accipiens naturam fœcundam ad agendum. Hinc *Reſpondeo II. Diſtinguo antecedens.* Procedit immediatè accipiens naturam fœcundam ad agendum *Nego.* Mediatè in reactione complens actiones ad intra, ùt ſubſtantiale vinculum inter Patrem & Filium *Concedo.*

ARTICULUS III.

Solvuntur Argumenta â Scholis Doctrinæ Lullianæ contrariis Articulo primo allata.

30. **A** *D Rationem primam num.* 3. Intellectivum, volitivum, Bonificativum Patris ſunt realiter ſummè idem, igitur meriſſima fictio eſt affirmare aliquid de Uno, & idem negare de altero, quod cum eo eſt Unum idemque: ſequeretur etiam Filium non æqualiter, non eodem modo accipere à Patre volibile, quo intelligibile, & ſic in- & de Deo foret inæqualitas, quod eſt impoſſibile. *Nego igitur ſecundam partem Argumenti*, quod Voluntas divina, ùt talis, non ſit aſſimilativa ſuî, ſed tantùm tendat vitaliter & propendeat in objectum; certè Voluntas divina, ùt talis, eſt volitiva: ergo producit volibile immediatè: aliàs Filiús â Patre non acciperet immediatè Voluntatem volibilem, quod eſt impoſſibile.

31. *Ad Confirmationem num.* 4. Utique Filius Dei eſt Imago nativa per omnia ſimilis Patri exceptâ *ingeniti* Proprietate; ſed etiam Spiritus S. eſt Imago Patris & Filii per omnia ſimilis Patri & Filio exceptâ

ingeniti & *Spiratoris* Proprietate: nam ſicut Pater eſt Bonificativus, Filius Bonificabilis, ſic S. Spiritus eſt Bonificare. Unde in hoc eſt differentia, quod Filius ſit Imago ſubſtantialis immediatè procedens à ſolo Patre, Sanctus autem Spiritus ſit Imago ſubſtantialis mediatè procedens â Patre & Filio. Patrem vocant Ss. Patres Græci Imaginem, prototypon: terminis Lullianis dici debet Pater Imago ſubſtantialis & naturalis imaginificativa, Filius imago ſubſtantialis & naturalis imaginificabilis, Spiritus S. Imago ſubſtantialis & naturalis imaginificare; ex quo patet, quod ratio Imaginis ſubſtantialis & naturalis conveniat tribus Perſonis, & triplici diverſo modo.

32. *Ad Rationem* II. *num.* 5. placet R. P. Henno in hoc, quod admittat cum Lullianis In Deo Libertatem eſſentialem ad intra agentem etiam reſpectu Proceſſionis Spiritus S., quod tamen Authores, alii ſubito æſtu abrepti clamant hæreticum; in eo verò nec placere, nec probari poteſt, quòd dicat Voluntatem divinam non eſſe agens naturale; Natura enim divina, Voluntas divina, Poteſtas divina convertuntur indenticè, & ſicut Pater eſt Natura divina naturificativa neceſſariò & liberè (libertate â ſolâ coactione Deo propriâ) producens Naturam naturificabilem, ita eſt Voluntas divina volitiva neceſſariò & liberè producens voluntatem volibilem, qui eſt Filius, *vide dicta* Tractatu I. Quæſt. 4. & 9.

33. *Ad Rationem* num. 7. *Reſpondeo primò.* Etiam Spiritus S. dicitur Imago. *Reſpondeo ſecundo. Nego min.* Amor productus procedit in Deo â toto producente, ſola autem Voluntas non eſt totus producens, ſed in producente ſunt omnes dignitates Dei, Voluntas, Intellectus, Libertas, Neceſſitas, Poteſtas, Bonitas identificatæ, porrò S. Spiritus eſt Amor *amare* procedens â toto Patre, qui eſt amor *amativus*, & â toto Filio, qui reſpectu Patris eſt amor *amabilis*, & cum Patre Unus amor amativus ſive ſpirativus reſpectu S. Spiritûs.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

Utrùm Pater & Filius debeant dici unus Spirator, vel duo Spiratores?

1. S*Tatus quæſtionis eſt.* Cùm duæ Perſonæ divinæ producant ſpirando tertiam Perſonam, an ideo duæ illæ Perſonæ dicendæ ſint duo Principia Spirativa, ſive duo Spiratores.

ARTICULUS I.

2. RESOLUTIO *omnium quatuor Scholarum Catholicarum ad hanc quæſtionem.*

Pater & Filius Spirando Spiritum S. ſunt unus Spirator, ſive unum Principium Spirativum.

3. *Ratio prima.* ſic definitum eſt *in Conc. Lugdunenſi cap.* 11. *de ſummâ Trinitate*, ubi oppoſita ſententia damnata eſt. Item *in Florentino in literis Unionis: S. Spiritus ex utroque æternaliter tanquam ab uno Principio & unica Spiratione procedit.* Item *S. Aug. lib.* 3. *de Trinitate cap.* 14. ait: fatendum eſt, Patrem & Filium Principium eſſe Spiritûs S. non duo Principia.

4. *Ratio* II. Quando duo producunt eundem terminum *indiviſim*, tunc unum eſt in duobus Principium: ſed Pater & Filius ſunt duo producentes indiviſim unum terminum: ergo unum eſt in illis duobus Principium productoris: ergo Pater & Filius ſpirando tertiam Perſonam ſunt Unus Spirator. *Major oſtenditur*; quia tunc ratio producendi eſt utrique communis, ùt patet *primò.* in duabus præmiſſis concurrentibus ad productionem concluſionis; quæ duæ præmiſſæ ſunt una ratio motiva: patet *ſecundò.* In tribus divinis Perſonis producentibus per creationem ad extra, ubi non poſſunt dici tres Creatores ſed tres crean-

88

creantes: ergo etiam in productione S. Spiritûs ſunt quidem duo ſpirantes, ſed non duo Spiratores.

5. *Ratio* III. ex ipſo B. Authore *Tom.* 4. *Quæſt. ſuper Lib. ſentent. Petri Lombardi fol.* 17. inter Patrem „& Filium eſt Proprietas diſtinctiva, ratione cujus „unus diſtinguit alium Unum â ſe, ſicut Pater, qui „Generando Filium, ipſûm diſtinguit â ſe ipſo, & „ſicut inter Patrem & Filium eſt Diſtinctio cum Infi- „nitate Bonitatis, Æternitatis, Poteſtatis &c. ſic per „conſequens inter ipſos eſt Concordantia, quæ eſt „æqualis Diſtinctioni per infinitam Bonitatem, Æ- „ternitatem, Poteſtatem &c. & illa Concordantia in „tantum eſt Proprietas concordativa inter Patrem & „Filium, ſicut Diſtinctio eſt Proprietas diſtinctiva; „ſed hoc non poſſet eſſe, niſi Concordantia uniret „Patrem & Filium in Unitate Spirativitatis, ſicut „Diſtinctio ipſos diſtinguit quantum ad Proprietates „perſonales; aliàs Diſtinctio eſſet major in Magni- „tudine Bonitatis, quam Concordantia; quod eſt „impoſſibile, cùm in Deo non ſit majus, nec minùs: „& ſic convenit, quòd Pater & Filius ſint unus Spi- „rator per Concordantiam, ſicut ſunt duæ Perſonæ „per Diſtinctionem.

Hoc totum complector Argumento iſto: Diſtinctio divinarum Perſonarum importat Concordantiam tanquam Perfectionem oppoſitam Contrarietati, quæ eſt Imperfectio: ergo, ſicut inter Patrem & Filium eſt Diſtinctio, ſic, dum ſpirant, inter Eos eſt Concordantia, aliàs Concordantia inter utrumque eſſet minor Diſtinctione: implicat autem majus & minus in Deo: ſi autem inter Patrem & Filium, dum ſpirant, eſt Concordantia, ſunt Unum in Concordantia Principium.

6. *Ratio* IV. *ex Tom.* 4. *ibid.* „Convenit quòd „ſit unus Spirator, Ut tantùm unus S. Spiritus poſſit „eſſe ex ambobus; quia, ſi dicerentur eſſe plures „Spiratores, eſſent plures Spiritus Sancti, vel unus „S. Spiritus eſſet compoſitus ex Spiratione Patris, & „& ex Spiratione Filii, quod eſt impoſſibile: ergo Pa- „ter & Filius ſunt unus Spirator tantùm.

7. *Dices* I. *cum Græcis Schiſmaticis*: Pater & Filius ſunt duo Spirantes: ergo etiam duo Spiratores. *Reſpondeo.* Spiratores juxta mentem Eccleſiæ & ex uſu ſignificat duo ſuppoſita ad producendum terminum *diviſim* concurrentia, quod non denotat vox ſpirantes. hinc *Diſtinguo antecedens.* ſunt duo Spirantes per unum *concordans* Principium *indiviſibiliter* agentes. *Concedo.* *diviſim* agentes. *Nego.*

8. *Dices* II. Principium Proceſſionis divinæ eſt Perſona, ſed Pater & Filius ſunt duæ Perſonæ: ergo ſunt duo Principia. *Reſpondeo Diſtinguo minorem:* quando Pater agit ad Filium *Concedo* quando cum Filio agit ad Spiritum S. *ſubdiſtinguo* eſt Perſona una ſine alterâ Indiviſibiliter comproducente. *Nego.* ſimul & cum illâ producente *Concedo.*

9. *Dices* III. Perſonæ divinæ per ſuas Proprietetes relativas ſibi opponuntur, & inter ſe diſtinguuntur, ergo eadem Proprietas relativa non poteſt eſſe in duabus Perſonis. *Reſpondeo. Diſtinguo conſequens:* propria cuivis Perſonæ *Concedo.* communis duabus Perſonis *Nego.* Patri proprium eſt generativum, Filio generabile, Spiritui S. Spirari; hæ Proprietates non poſſunt eſſe in duabus Perſonis: Spirativum verò eſt Proprietas communis Patri & Filio: unde eſt in utroque.

10. *Dices* IV. in Patre & Filio forent tres relationes, Paternitatis, Filiationis & Spirationis: & ſic quarta eſſet in Spiritu S. *Reſpondeo.* jam dictum eſt, quòd Spiratio activa ſit communis Patri & Filio; & cùm hæc realiter identificetur Patri & Filio, non poſſunt efficere tres relationes reales realiter inter ſe diſtinctas, quod tamen intendit argumentum.

11. *Dices* V. Principium Spirativum totum eſt in Patre, totum in Filio: ergo Hi duo ſunt Principia ſpirativa. *Reſpondeo* I. *retorqueo.* Principium creativum totum eſt in Patre, totum in Filio, totum in Spiritu S. ergo hi ſunt tria Principia & tres creatores. *Reſpondeo* II. *diſtinguo antecedens* indiviſibiliter *Concedo.* diviſibiliter. *Nego.*

12. *Dices* VI. Si Pater & Filius ſunt unum Principium Spirativum, quia habent unam vim Spirandi: ergo Pater ſolus eſt duplex Principium, quia habet duas Virtutes, ſcil. generativam & Spirativam. *Reſpondeo.* Pater ſolus non habet duas Virtutes ſibi ſoli proprias, ſed cum Filio habet Virtutem ſpirativam communem: hinc ſolus Pater non habet duo Principia, ſed ſolus habet unam Virtutem generativam, cum Filio autem habet alteram Virtutem ſpirativam.

QUÆSTIO V.

Utrùm S. Spiritus realiter diſtingueretur â Filio, ſi non procederet ab eo.

1. GRæci negantes Spiritum S. â Filio procedere, aſſerebant tamen illum eſſe tertiam in Ss. Trinitate Perſonam, ideoque â Filio realiter diſtinctam. ex hoc ultimo conceſſo Latini contra græcos ſic arguebant: juxta Vos Spiritus S. non procedit â Filio, ergo ſine fundamento dicitis, quod â Filio diſtinguatur: vel ſi Eum â Filio diſtingui aſſeritis, etiam Eum â Filio procedere negare non poteſtis: ſi enim â Filio per impoſſibile non procederet, etiam â Filio non diſtingueretur. *Status quæſtionis* nunc eſt an hoc Patrum Latinorùm Argumentum contra Græcos ſit convincens.

ARTICULUS I.

Reſolutio hujus Quæſtionis ex Scholâ Scotiſticâ.

2. SI Spiritus S. non procederet â Filio, adhuc diſtingueretur realiter ab Eo, adeoque illud

, La-

Latinorum Argumentum contra Græcos non erat convincens.

3. *Ratio* I. Conſtitutivum rei eſt etiam ejus diſtinctivum: atqui in hypotheſi impoſſibili, in ſecundâ Perſonâ maneret conſtitutivum ſcil. generatio paſſiva ſive Filiatio: ergo hoc conſtitutivum maneret diſtinctivum Filii â Patre & Spiritu Sancto.

4. *Confirmatur*: pro priori Rationis ad fœcunditatem Naturæ in ordine ad producendum aliam Perſonam in Filio, jam Filius habet completum conſtitutivum, ſcil. Generationem paſſivam, cùm etiam juxta Thomiſtas & Suariſtas Filius per hoc non ſit formaliter Filius & generatus, quia accipit Naturam fœcundam, ſed ideo præcisè: quia procedit ab Intellectu Patris: ergo etiam habet per Generationem paſſivam completum diſtinctivum pro priori Rationis ad ſpirationem activam: ergo cum in hypotheſi impoſſibili retineret Filius generationem paſſivam, etiam per illam adhuc diſtingueretur realiter â Spiritu Sancto.

5. *Ratio* II. Non poteſt idem terminus produci per duas actiones diverſas totales: atqui in hypotheſi illa impoſſibili Generatio activa & Spiratio activa in Patre, adhuc eſſent diverſæ actiones totales; ergo non poſſent habere unum terminum: ergo Filius â ſolo Patre genitus, & Spiritus S. tunc â ſolo Patre ſpiratus eſſent duo termini realiter diſtincti.

6. *Confirm.* I. Ad diſtinctionem realem in divinis ſufficit, relationes eſſe diſparatas v. g. quod Filius in illâ hypotheſi procederet â Patre per Generationem activam, & Spiritus S. â ſolo Patre per Spirationem activam: atqui hoc fieret tunc; ergo tunc Filius & Spiritus S. diſtinguerentur realiter.

7. *Confirm.* II. Si Spiritus procederet â ſolo Filio, adhuc realiter diſtingueretur â Patre: ergo etiam ſi S. Spiritus procederet â ſolo Patre adhuc realiter diſtingueretur â Filio.

8. *Ratio* III. ab *Authoritate S. Anſelmi*, qui *lib. de proceſſ. Spiritus S. cap.* 4. *ait*: Si per aliud non eſſent

90

„ſent plures Filius & Spiritus S., per hoc ſolùm eſ-
„ſent diverſi, ſcilicet quia alter naſcendo, alter exi-
„ſtit procedendo: atqui ſublatâ per impoſſibile Spi-
„ratione activâ à Filio, adhuc Filius naſceretur &
„Spiritus S. verè procederet, ſcil. à Patre: ergo ad-
„huc eſſent diverſi. Hanc Doctrinam hauſerat S. Anſelmus *ex S. Aug. lib. 5. de Trinitate cap.* 14. *ubi dicit Spiritum S. ideo non eſſe Filium, quia exit non quomodo natus, ſed quomodo datus*: ex quibus patet totam rationem diſtinctionis inter Filium & Spiritum S. non peti ex eo, quod unus procedat ab alio, ſed etiam, quia emanatio Unius differt ab emanatione alterius.

ARTICULUS II.

Reſolutio ex Scholâ Thomiſticâ & Suariſticâ.

9. SI Spiritus S. â Filio non procederet realiter â Filio, non diſtingueretur ab eo.

10. *Ratio.* ubi in divinis nulla obviat oppoſitio relativa producentis & producti, ibi nulla eſt diſtinctio realis; atqui, ſi S. Spiritus non procederet â Filio, inter utrumque non eſſet talis oppoſitio: ergo inter utrumque non eſſet diſtinctio realis; major eſt commune axioma Theologorum & *S. Anſelmi lib. de proceſſ. Spiritus S. cap.* 2. Eandem receptiſſimam ſemper fuiſſe apud P. P. etiam Græcos manifeſte oſtenderunt Beſſarion Græcus, & Joannes Theologus Latinus in Concilio Florent. tacitè illud axioma approbante.

11. *Confirmatur* I. *Concil. Tolet,* 11. *cap.* 1. *ait*:
„*in* relatione Perſonarum numerus cernitur: hoc ſo-
„lo numerum inſinuant, quod ad invicem ſint. idem
„dicit *S. Aug. tract.* 39. *in Joan.*

12. *Confirmatur* II. Spiratio activa defacto non diſtinguitur realiter, nec â Paternitate, nec â Filiatione,

Digitized by Google

tione, quia cum his nullam habent oppoſitionem relativam producentis & producti: ergo etiam Filiatio & Spiratio paſſiva à ſe invicem non diſtinguerentur, ſi Spiritus S. non procederet à Filio.

13. RESOLUTIO EX SCHOLA LULLIANA: eſt hæc quidem eadem, quæ ex Shola Thomiſtica & Suareſiana, ſed probationes petuntur ſolidiores ex Principiis Lullianis.

14. *Ratio.* in divinis Perſonis nulla poteſt eſſe Diſtinctio niſi perfectiſſima: quia, quidquid in Deo eſt, perfectiſſimum eſt; ſed ſola Diſtinctio, quæ eſt inter producens & productum in divinis, eſt Diſtinctio perfectiſſima: cùm ea detur inter Patrem & Filium, & per conſequens debeat eſſe perfectiſſima; & ratio adhuc eſt, quia Diſtinctio producentis & producti in divinis facit ut producens producto det eſſe divinum, & realiter productum ſimul faciat, ut producens in ſuo eſſe producente æternali ſit perfectiſſimum; igitur cum in hypotheſi impoſſibili non eſſet inter Filium & Spiritum S. Diſtinctio producentis & producti, ſequitur manifeſtè, quod nulla inter ea ſit Diſtinctiò realis, quia omnis Diſtinctio in divinis, quæ non eſt inter producens & productum eſt minor & proinde imperfecta, & per conſequens in divinis nulla, cum in divinis nihil imperfectum ſit poſſibile.

Hæc demonſtratio eſt fortiſſima probatio illius axiomatis: *ubi in divinis non obviat oppoſitio relativa producentis & producti, nulla datur Diſtinctio realis*: quod axioma Scotiſtis negantibus ægerrimè ex ſuis principiis probabunt aliæ ſcholæ.

15. Hanc eandem demonſtrationem affert B. Doctor verbis ſequentibus *Tom. 4. quæſt. ſuper lib. ſent. Petri Lombardi fol. 16. quæſt. 13. ubi Argumentum* „*urget ex Matheſi.* inter Filium & Spiritum S. non „poteſt eſſe Diſtinctio, niſi ipſa inter illos eſſet per- „fecta, & in tam magna Bonitate, æternitate, Po- „teſtate, &c. &c. ſicut eſt inter Patrem & Filium, „& inter Patrem & S. Spiritum, inter quos eſt Pro- „prietas diſtinctiva & conſtitutiva in ſubjecto perſo-

 nali;

„nali; ratione cujus Proprietatis attributa poſſunt „habere naturales actus, ſicut Bonitas Bonificare, Mag„nitudo Magnificare; & quia Diſtinctio non poſſet „habere prædictam Proprietatem inter Filium & S. „Spiritum, ſi Filius non ſpiraret S. Spiritum, ſic de„ficiente proprietate diſtinctiva & conſtitutiva defi„ceret diſtinctio inter Filium & S. Spiritum, ratione „cujus negativa Quæſtionis eſt tenenda: & ſic eſſet „de Beatiſſimâ Trinitate, ſicut eſſet de *triangulo*, qui „triangulus non eſſet, ſi ab ipſo removeretur *una* „*linea*, & totus ille locus, â quo eſſet remota illa linea, „eſſet vacuus, ratione cujus vacuitatis duæ lineæ, „quæ remanerent, non poſſent participare niſi per „unum angulum quo ad concordantiam Bonitatis, „Magnitudinis; & quia talis privatio concordantiæ „non poſſet eſſe in Beatiſſimâ Trinitate Dei, decla„ratum eſt, quod Quæſtio ſit fundata ſuper impoſſi„bilitate.

ARTICULUS III.

Solvuntur Argumenta ex Scholâ Scotiſtica artic. I. relata.

16. AD *Rationem* I. *num.* 3. Vix Thomiſtæ aut Suareſiani poterunt afferre quid ſolidum, quod illam Scotiſtarum rationem cum adjectâ confirmatione infringere queat, ex Doctrinâ verò Lullianâ jam manent Scotiſtæ refutati per *num.* 19 *Quæſt. Tertiæ.* ubi probatum eſt, ſecundam Perſonam per hoc conſtitui formaliter & eſſentialiter, quod accipiat â Patre Naturam fœcundam ad producendam aliam Perſonam ſive Spirationem activam, quæ cùm in factâ hypotheſi deeſſet, non daretur Filius, & per conſequens nec diſtingueretur â Spiritu S.; nullius enim entis nulla eſt diſtinctio. Et cùm *num.* 23. *ejuſdem Quæſt. tertiæ* probatum fuerit, tertiam Perſonam conſtitui formaliter per Proceſſionem ex dua-

bus

bus Perſonis, & hoc ceſſet in factâ hypotheſi, ſequeretur manifeſtè, quod tunc eſſet unica tantùm Perſona ſcilicet Pater, & ſimul non eſſet, quia non eſſet perfectiſſimè activus & aſſimilativus, & ſic nulla daretur Perſona divina.

17. *Ad Confirmationem num.* 4. Quando de Perſonâ divina loquimur, intollerabile eſt illud, *proprióri Rationis*, & præjudicat ſummæ Simplicitati: ſi autem dicas Deum ex Perfectione ſumma æquivalere rebus pluribus creatis prioribus & poſterioribus, adeoque dari fundamentum de Deo aliquid prius, & aliud poſterius cogitandi, tunc *Reſpondeo*: æquivalet modo perfectiſſimo per ipſam ſuam ſummam ſimplicitatem, adeoque nullum datur fundamentum aliquid de Deo priùs, & aliud poſteriùs cogitandi reſpectu ejuſdem Perſonæ.

18. *Ad Rationem* II. *num.* 5. *Reſpondeo. Diſtinguo minorem*: eſſent duæ actiones imperfectæ Deo non convenientes *Concedo.* perfectiſſimæ *Nego.* actio Patris in Filium, ut ſit perfectiſſima ſibique conveniens, debet eſſe perfectiſſimè aſſimilativa, adeoque debet Filio communicare virtutem ſpirationis activæ: & per conſequens, ut Patris actio in Spiritum S. ſit perfectiſſima, debet cum Filio producere Spiritum S., igitur in factâ hypotheſi manerent actiones imperfectæ, quæ in divinis Perſonis nullæ ſunt.

19. *Ad Confirmationem* I. *num.* 6. Patet reſponſio ex numero proximè præcedente & ex num. 14. & 15.

20. *Ad Confirmationem* II. *num.* 7. *Reſpondeo. Nego antecedens.* tunc enim *primò* inter Patrem & Spiritum S. non intercederet Diſtinctio realis fundata in relatione producentis & producti, quæ tamen utpote perfectiſſima debet eſſe inter Perſonas divinas. *ſecundò* tunc Pater non eſſet ſpirativus, & proinde Pater & Filius ſe non amarent mutuò, & ſic non eſſent mutuò amabiles, nec infinitè boni, quæ omnia ſunt abſurda. Patet igitur antecedens Argumenti malè concedi â Thomiſtis & Suareſianis.

21. *Ad Rationem* III. *num.* 8. naſci in divinis nihil aliud eſt, quàm Secundam Perſonam procedere â ſolo Patre in perfectiſſimam ſimilitudinem & identitatem Naturæ, & procedere Tertiam Perſonam, nihil aliud eſt, quam eam produci â duobus Perſonis per actionem mutuam: Igitur S. Anſelmus hoc loco nihil dicit contra Nos: maximè cùm ipſe tanquam certum adducat illud axioma Theologicum: *Ubi in divinis non obviat oppoſitio relativa producentis & producti, nulla eſt Diſtinctio realis.* porro ſupponunt Scotiſtæ, quod Filius naſcatur per hoc, quod procedat per ſolum intellectum Patris, & Spiritum S. per hoc procedere, quod producatur per ſolam Voluntatem Patris, quæ omnia falſa eſſe demonſtravimus hìc Quæſt. 4.

Plurimæ adhuc de Deo Tri-uno Quæſtiones ex iiſdem Principiis Lullianis pari facilitate ac ſoliditate reſolvi poſſent, quas ſuo tempore, ſi è re videbitur, deducemus. interim hæ pauculæ, ſelectiores tamen, per Artem Lullianam explicatæ ſufficiant.

Quid quid autem ſcripſimus iteratò ſubmiſiſſimè cum debitâ veneratione, infallibili calculo ac Cenſuræ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſubjicimus.

SOLI DEO GLORIA

In-

Index Poſitionum
TRACTATUS PRIMI
DE
Deo Uno & Trino
Et De Divinis Dignitatibus.
Quæſtionis Primæ Præliminaris
PARS I.
An id, quod eſt Deo congruum, hoc ipſo etiam ſit Deo neceſſarium.

Poſitio. I. *ex Scholis Thomiſticâ, Scotiſticâ & Suareſianâ.* Deus potuit pro priori rationis omittere Decretum. quod modò habet de effectu congruè ad extra producendo, & potuit pro priori rationis habere aliud Decretum, alio modo congruo producendi effectum ad extra. pag. 16. n. 2.

II. *Ex Scholis omnibus Anti-Lullianis.* Effectus ad extra â Deo producti potuerunt pro omni tempore relinqui in nihilo ſuî, adeoque realiter planè non eſſe. pag. 17. n. 6.

III. *Ex Scholâ Lullianâ:* Deus pro priori rationis non potuit omittere Decretum, quod nunc habet, vel ponere aliud, quàm quale nunc habet. pag. 17. n. 9.

IV. *Ex eâdem Scholâ Lulliana.* Effectus â Deo ad

ad extra producti non poſſunt, nec potuerunt pro omni tempore reali in nihilo ſui relinqui, & planè realiter abeſſe. pag. 20. n. 17.

PARS II.

QUÆSTIONIS PRÆLIMINARIS.

Utrum Deus ſemper producat Optimum ad extra, ſive creaturam perfectiſſimam.

Poſitio. I. *Ex triplici Scholâ Lullo contrariâ.* Deus nequit producere ad extra optimum abſolutè, ſive creaturam in ſe perfectiſſimam ita, ut eadem creatura non potuerit â Deo plures recipere perfectiones. pag. 28. n. 2.

II. *Ex iiſdem Scholis.* Deus nequidem poteſt producere ad extra Optimum reſpectivè, ſive creaturam ita perfectiſſimam, ut ipſa alias omnes exiſtentes & poſſibiles ſuis perfectionibus excedat. pag. 28. n. 6.

III. *Ex Scholâ Lullianâ.* Deus, quoties agit ad extra, producit optimum abſolutè, ſive talem creaturam, quæ non poteſt, nec potuit recipere plures perfectiones, quàm in primâ ſuî productione accepit. pag. 29. n. 9.

IV. *Ex eadem Scholâ Lullianâ.* Deus poteſt, & debet producere Optimum reſpectivè ad extra. pag. 32. n. 21.

PARS III.

QUÆSTIONIS PRÆLIMINARIS.

An Veritates de myſteriis fidei ſint ex lumine naturali evidenter demonſtrabiles?

Poſitio. I. *Ex Communiſſimâ triplicis Scholæ Anti-Lullianæ.* Non dantur Demonſtrationes ex naturali rationis lumine petitæ circa myſteria fidei noſtræ, etiam præſuppoſitâ fide pag. 35. n. 2.

II. *Ex Scholâ Lullianâ.* Dari neceſſe eſt Demonſtrationes ſecundùm tres propoſitiones ſano intellectui humano claras & evidentes de myſteriis orthodoxæ Fidei, etiam independenter â ſacris paginis. pag. 36. n. 5.

QUÆSTIO II.

Utrùm Deum exiſtere, demonſtrari poſſit per æquiparantiam, vel, ut ajunt, â ſimultaneo, ſive quaſi â priori?

Poſitio I. *Ex Communiſſimâ ſententiâ triplicis Scholæ Anti-Lullianæ.* Non dantur Demonſtrationes veræ â ſimultaneo, ſive ab æquiparantiâ de Exiſtentiâ Dei. pag. 53. n. 2.

II. *Ex Scholâ Lullianâ.* Demonſtrationes ab æquiparantiâ de Exiſtentiâ Dei ſunt nobiliſſimæ, veriſſimæ & non tantùm apparentes. pag. 54. n. 6.

94

QUÆSTIO III.

Quid ſit DEUS.

Poſitio. I. *Ex Communi ſententiâ Thomiſtarum.* Eſſentia Dei metaphyſica conſiſtit in intellectione eſſentiali actuali. pag. 60. n. 2.

II. *Ex communiore ſententia Scholæ Scotiſticæ & Suareſianæ.* Eſſentia Dei metaphyſica conſiſtit in ente à ſe. pag. 60. n. 6.

III. *Ex Scholâ Lullianâ* Non debet una Divina Dignitas priùs alterâ concipi, ex quâ metaphyſicè fluant cæteræ, tanquam meræ proprietates eſſentiâ poſteriores: adeoque Eſſentia Dei metaphyſica non conſiſtit in unâ aliquâ ex Dignitatibus Divinis potiùs, quàm in alterâ. pag. 61. n. 8.

IV. *Ex eâdem Scholâ Lullianâ.* Eſſentia Dei metaphyſica conſiſtit in ente omniperfecto. pag. 62. n. 11.

V. *Itidem ex Scholâ Lullianâ.* Deus ſecundùm Eſſentiam phyſicam Theologicè ſpectatam non eſt Eſſentia communis tribus Perſonis diſtributivè ſumptis, per quam Pater eſt Deus ſimpliciter & abſolutè, & ita Filius eſt Deus, & ita Spiritus S. eſt Deus ſimpliciter. pag. 63. n. 13.

VI. *Rurſus ex Scholâ Lullianâ.* Deus ſecundùm Eſſentiam phyſicam Theologicè conſideratam eſt Pater Omniperfectus perfectiſſimè Generans, & Filius Omniperfectus perfectiſſimè Genitus, & Spiritus Sanctus Omniperfectus perfectiſſimè Spiratus. pag. 64. n. 18.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

Quomodo Eſſentia DEI ab Attributis, & Perſonalitatibus, & quomodo Attributa inter ſe diſtinguantur?

Poſitio. I. *Omnium Scholarum Orthodoxarum.* Eſſentia Dei ab Attributis non diſtinguitur realiter ſtrictè. pag. 68. n. 2.

II. *Iterum communis omnibus Scholis Catholicis.* Eſſentia Divina non diſtinguitur realiter à tribus Perſonalitatibus ſimul ſumptis. pag. 70. n. 7.

III. *Ex Scholâ Thomiſticâ.* Eſſentia Dei ab Attributis & Perſonalitatibus Divinis, uti & Attributa Dei inter ſe diſtinguuntur realiter, non quidem actualiter, ſed virtualiter & æquivalenter. pag. 70. n. 9.

IV. *Ex Scholâ Scotiſticâ.* Eſſentia Dei ab Attributis Divinis & Perſonalitatibus, uti & Attributa Divina inter ſe diſtinguuntur diſtinctione mediâ inter diſtinctionem ſtrictè realem, & diſtinctionem rationis, hoc eſt, ſunt quidem realiter quid idem, ſunt tamen etiam ante operam mentis diverſæ formalitates, conceptibilitates, & definibilitates. pag. 71. n. 12.

V. *Ex Scholâ Lullianâ.* Dignitates Divinæ non diſtinguuntur realiter diſtinctione Thomiſticâ. pag. 71. n. 15.

VI. *Ex eadem Scholâ Lullianâ.* Dignitates Dei non diſtinguuntur ante intellectum diſtinctione media Scotiſtarum. pag. 72. n. 18.

VII. *Itidem ex Scholâ Lullianâ.* Dignitates Divinæ nequidem per intellectum noſtrum diſtingui poſſunt ab Eſſentia Dei pariformiter ſumptâ. Hoc eſt juſtitia v. g. juſtificativa: Eſſentia Eſſentiativa: juſtitia juſtifica-

bilis cum Eſſentia Eſſentiabili, & juſtitia juſtificare cùm Eſſentiâ Eſſentiare; ita ut una habeat jus priùs terminandi cognitionem noſtram, vel ut una potiore jure concipiatur tanquam radix & aliæ tanquam proprietates inde fluentes. pag. 74. n. 23.

VIII. *Iterum ex Scholâ Lullianâ.* Dignitates Dei ante Intellectum nullo modo diſtingui poſſunt, ſed ſunt ſummè idem. pag. 74. n. 26.

QUÆSTIO V.

An & quomodo Dignitates DEI agant tum ad intra, tum ad extra.

Poſitio. I. *Ex triplici Schola Lullo contraria*: Dignitates Dei non agunt ad intra. pag. 77. n. 2.

II. *Ex iiſdem Scholis.* Dignitates Dei non agunt ad extra æqualiter cum eâdem denominatione. pag. 77. n. 5.

III. *Ex Scholâ Lullianâ.* Dignitates Dei omnes agunt ad intra. pag. 78. n. 9.

IV. *Ex eadem Scholâ Lullianâ.* Omnes Divinæ Dignitates agunt ad intra æqualiter. pag. 78. n. 12.

V. *Etiam ex Scholâ Lullianâ.* Dignitates Divinæ agunt ad extra æqualiter, ita ut uni debeat tantus in ſuo genere effectus tribui, quantus tribuitur alteri. pag. 79. n. 14.

QUÆSTIO VI.

Quid ſit Omnipotentia Divina.

Poſitio. I. *Variorum Authorum ex Scholis Anti-Lullianis.* Definito Omnipotentiæ Dei deſumi debet à Poſſibilitate Creaturarum intrinſecâ,

ſecâ, adeoque ſic benè definitur: *Omnipotentia Dei eſt Poteſtas producendi ad extra, quidquid intrinſecè non implicat.* pag. 82. n. 2.

II. *Aliorum Authorum Lullo contrariorum.* Definitio Omnipotentiæ Divinæ peti debet tantùm ab Idæis Divinis, adeoque ſic definitur: *eſt Poteſtas producendi ad extra, quidquid ideæ Divinæ repræſentant producibile.* pag. 82. n. 4.

III. *Ex omnibus Scholis Lullo contrariis.* Definitio Omnipotentiæ Dei non debet, nec poteſt peti à Circulo convertibilitatis inter Dignitates Divinas. pag. 83. n. 7.

IV. *Ex Scholâ Lullianâ.* Non datur etiam in mente Dei poſſibilitas intrinſeca creaturarum ullo modo ab omnipotentia, Cæteriſque Dignitatibus Dei ab æterno diſtincta: proinde ab illa nec peti poteſt definitio Omnipotentiæ. pag. 84. n. 13.

V. *Ex eadem Scholâ Lullianâ.* Definitio Omnipotentiæ Divinæ non debet peti tantùm ab idæis Divinis, ita ut hæc ſit propria Ejus definitio: *Poteſtas producendi ad extra, quidquid Divinæ ideæ repræſentant producibile.* pag. 85. n. 18.

VI. *Itidem ex Scholâ Lullianâ.* Poteſt ac debet definitio Omnipotentiæ peti à Circulo convertibilitatis inter Dignitates Dei, ita ut ſenſus ſit: *Omnipotentia eſt poteſtas producendi omnia, quæ Voluntas vult, & ſapientia ſcit, & Æternitas facit durare*, ſicut è converſo *Bonitas eſt Virtus Bonificativa omne id, quod Omnipotentia poteſt, Voluntas vult* &c. pag. 85. n. 21.

QUÆ-

96

QUÆSTIO VII.

Quid ſit Æternitas DEI.

Poſitio. I. *Ex Scholâ Thomiſticâ.* Æternitas ſimpliciter ſumpta, ſine addito, quod ſit Divina, non eſt Attributum Dei, ſed poteſt etiam convenire creaturæ, adeoque mundus potuit exiſtere ab æterno. pag. 89. n. 2.

II. *Ex Scholâ Recentiorum.* Æternitas eſt Attributum Dei, quod excludit ex ſe omne tempus actuale, non tamen virtuale: hoc eſt, habet virtutem, ut coëxiſtat Deus per Æternitatem ſucceſſioni temporum, uti modò fit, & fieri potuiſſet, ſi mundum prius condidiſſet. pag. 89. n. 7.

III. *Ex triplici Schola & Boëtio*: Æternitas eſt interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio. pag. 90. n. 9.

IV. *Ex Scholâ Lullianâ.* Æternitas ſimpliciter & ſine addito, quod ſit Divina, tamen eſt Dignitas Divina, adeoque mundus non potuit ab æterno creari â Deo. pag. 90. n. 10.

V. *Ex Scholâ Lullianâ ſpecialiter.* Mundus non potuit priùs produci, quàm productus eſt. p. 92. n. 25.

VI. *Iterum ex Scholâ Lullianâ privatiſſimè.* Æternitas eſt Dignitas Divina faciens durare ſine initio, medio & fine: ſive eſt Dignitas Divina Æternificativa, Æternificabilis, & Æternificare, quidquid Omnipotentia poteſt Omnipoteſtare, Bonitas Bonificare &c. pag. 93. n. 24.

QUÆ-

QUÆSTIO VIII.

De Scientia DEI.

Poſitio. I. *Ex Scholâ Thomiſtica.* Duæ ſunt ſtatuendæ in Deo ſcientiæ, Scientia ſimplicis intelligentiæ, & ſcientia viſionis. pag. 96. n 2.

II. *Ex eadem Scholâ Thomiſtica.* Futura libera conditionata prævidentur in Decretis Dei ſubjectivè abſolutis, & objectivè conditionatis, hoc eſt, in Decretis Dei, quæ abſolutè in Deo ſunt, quorum objecta tamen ſuſpenſa ſunt, donec à Deo ipſo ponatur certa conditio. pag. 96. n. 4.

III. *Ex Scholâ Recentiorum.* Tres ſunt in Deo ſcientiæ; ſimplicis intelligentiæ, Media, & Viſionis. pag. 96. n. 6

IV. *Ex eâdem Scholâ Recentiorum.* Deus per ſcientiam mediam videt conditionata libera in ſeipſis, ſive in connexione objectiva conſenſus ſalutaris liberi cum gratiâ, ſi detur. pag. 97. n. 9.

V. *Ex Scholâ Lullianâ.* Non datur multiplex in Deo Scientia de objectis diverſis quoad Statum exiſtentiæ, adeoque hæc nomina: Scientia ſimplicis intelligentiæ, Scientia Viſionis ſunt de Deo conficta. pag. 97. n. 11.

VI. *Iterum ex Scholâ Lulliana.* Non datur in Deo ſcientia Media. p. 99. n. 15.

VII. *Rurſus ex Scholâ Lullianâ.* Deus non videt libera conditionate futura in Decretis ſubjectivè abſolutis, & objectivè conditionatis. p. 100. n. 20.

VIII. *Ex eadem Schola Lulliana.* Deus non videt libera conditionatè futura in ſe ipſis. pag. 101. n. 26.

IX. *Itidem ex Scholâ Lullianâ.* Deus, ſive Tota Trinitas prævidet futura libera in imagine

ſub-

ſubſtantiali Æterna, qui eſt Filius. pag. 101. n. 28.

X. *Specialis Lulliſtarum.* Scientia Dei eſt Dignitas Divina ſciens omnia, quæ poteſt imago ſubſtantialis Dei repræſentare, ſcientificativa omnium, quæcunque Bonitas Dei poteſt bonificare, Omnipoteſtas poteſtare &c. p. 103. n. 34.

QUÆSTIO IX.

De Libertate Dei.

Poſitio. I. *Ex Scholis Anti-Lullianis.* Deus in actionibus ad extra eſt Liber Libertate contradictionis. p. 105. n. 2.

II. *Ex iiſdem Scholis.* Deus in actionibus ad extra eſt Liber Libertate Contrarietatis, non tamen ad bonum & malum morale. p. 106. n. 8.

III. *Ex Scholâ Thomiſticâ & Suareſianâ:* Deus non eſt liber agendo ad intra. p. 106. n. 9.

IV. *Ex omnibus Scholis Lullo contrariis.* Libertas Dei eſt Attributum Divinum, quo Deus extra ſe omnia producere poteſt, vel omittere, quæ poſſibilia ſunt. pag. 106. n. 11.

V. *Ex Scholâ Lulliana.* In Deo etiam ad extra agente dari non poteſt Libertas contradictionis. p. 106. n. 13.

VI. *Iterum ex Scholâ Lullianâ.* Non datur in Deo Libertas contrarietatis, quod poſſit circa idem objectum ponere actus contrarios, vel non ponere. p. 109. n. 21.

VII. *Itidem ex Scholâ Lulliana, cui accedunt cum Doctore Subtili Scotiſtarum plurimi.* Deus liberè agit ad intra, hoc eſt: Pater liberè producit Filium, ex Patre & Filio liberè procedit Spiritus Sanctus. p. 110. n. 24.

VIII. *Specialiſſimè ex Scholâ Lullianâ.* Libertas Dei eſt Dignitas Divina, quâ Deus à nullo ſuperiore coactus Liberrimè agit tum ad intra, tum ad extra, quæ Omnipotentia poteſt, Sapientia ſcit, Voluntas vult &c. p. 110. n. 27.

QUÆSTIO X.

De Providentia DEI tum Generali, tum Speciali, quæ dicitur Prædeſtinatio.

Poſitio. I. *Ex omnibus Scholis Orthodoxis.* Deus habet veram & ſinceram Voluntatem ſalvandi Omnes. p. 115 n. 2.

II. *Ex Scholâ Thomiſticâ.* Prædeſtinatio ad gloriam fit antecedenter, & independenter à prævifis determinatis mediis & meritis abſolutè futuris: ſive Decretum Dei conferendi his hominibus gloriam pro tempore, eſt ratione prius, quàm aliud Decretum conferendi iiſdem hominibus gratias tanquam media neceſſaria ad prædeſtinatam jam antea gloriam obtinendam. p. 119. n. 13.

III. *Ex Scholâ Recentiorum, cum Suarez Vaſquez &c.* Deus ratione priùs decernit hominibus dare gratias quas antea jam vidit benè applicandas, quàm iiſdem per Decretum ratione poſterius decernat gloriam. p. 120. n. 17.

IV. *Ex Scholâ Lullianâ.* Deus non habet duo Decreta, quorum uno priore ab æterno decernat certis hominibus dare gloriam ante præviſa merita pro tempore ponenda, & poſteriore decernat modò gratias neceſſarias dare. p. 121. n. 21.

V. *Rurſus ex Scholâ Lullianâ.* Non ſunt de Prædeſtinatione ponenda aliqua inſtantia rationis in Deo: quaſi in *primo* inſtanti videret Deus

Deus merita noſtra conditionatè futura, ſi detur certa gratia; in *ſecundo* deinde decerneret nobis illam gratiam, ex cujus bono uſu præviderat merita noſtra futura, & denique in *tertio* inſtanti modò decerneret gloriam propter merita abſolutè præviſa. p. 122. n. 26.

VI. *Etiam ex Scholâ Lullianâ.* Prædeſtinatio Electorum fit ab æterno ſimul ad gratiam finalem & ad gloriam ſimul præviſâ hominum cooperatione cum gratiâ maximè finali: & quidem fit unico non tantùm realiter, ſed etiam intentionaliter indiviſibili Decreto; adeoque nulla, nequidem rationis prioritas aut poſterioritas inter præparationem gratiarum & meritorum tanquam mediorum & inter electionem ad gloriam tanquam finem admitti poteſt. Hanc ſententiam Lullianam etiam amplectuntur quidam aliarum Scholarum Authores, Arrubal, Grando, Maurus. Eſparza &c. pag. 123. n. 28.

TRACTATUS I.

PARS II.

DE SANCTISSIMA TRINITATE

QUÆSTIO I.

An evidenter demonſtrari poſſit dari verè realiter Sanctiſſimam & divinam Trinitatem?

Poſitio. I. *Omnibus Scholis Orthodoxis Communis.* Myſterium Divinæ Triados non eſt Contra rationem noſtram naturalem. p. 126. n. 2.

Ex

II. *Ex Scholis Omnibus Anti-Lullianis.* Hoc Myſterium adeò eſt occultum & inſcrutabile, ut ſolà obſcura fide cognoſci, non verò naturali demonſtratione intelligi queat, pag. 127. n. 5.

III. *Ex Scholâ Lullianâ.* Poſſibile, imo neceſſe eſt, demonſtrationes dari fortiſſimas & evidentes de Divinâ Trinitate, ſicut de Divinâ Unitate. pag. 129 n. 12.

QUÆSTIO II.

Quomodo demonſtrari poſſit divina Trinitas?

Poſitio. I. *Ex Scholis Anti-Lullianis omnibus* Præmiſſæ ex lumine naturali factæ de Divinæ Triados Demonſtratione per *Trium*, *Bile* & *Are*, ſunt obſcuræ & periculoſæ in fide orthodoxâ. pag. 135. n. 2.

II. *Ex Scholâ Lullianâ.* Præmiſſæ ex lumine naturali dictatæ de Divinæ Triados demonſtratione ſunt evidentes & infallibiles, ex quibus legitimè infertur hæc conclusio: *ergo datur Divina Trinitas.* pag. 136. n. 6.

§. I. Referuntur *decem* demonſtrationes de Pluralitate Perſonarum. pag. 136. n. 7. & ſeqq.

§. II. *Decem* Demonſtrationes de Proceſſione Spiritûs Sancti ex Patre & Filio. pag. 143. n. 21. & ſeqq.

§. III. *Quatuor* Demonſtrationes, quòd tres tantùm ſint in Deitate Perſonæ. pag. 154. n. 41.

§. IV. *Quatuor* Demonſtrationes. Quod Tres Perſonæ in Divinis ſint tantùm unus Deus. pag. 158. n. 26.

QUÆSTIO III.

Quid ſit divina Generatio & Spiratio, & cur prima Perſona nominetur Pater, Secunda Filius, Tertia Spiritus Sanctus.

Poſitio. I. *Ex Scholis Anti-Lullianis.* Filius Dei ideo eſt generatus, quia producitur à Primâ Perſonâ in identitatem naturæ ita, ut procedat à ſolo Intellectu Patris tanquam Principio formali ùt quo propinquo. pag. 162. n. 2.

II. *Ex iiſdem Scholis Anti-Lullianis.* ideo Spiritus Sanctus eſt Spiratus, quia procedit à ſola Voluntate Patris & Filii tanquam Principio formali *quo* propinquo. pag. 162. n. 2.

III. *Ex Scholâ Lullianâ.* In Generatione Filii Dei non datur in Patre principium *quo* formale remotum, quod dicunt eſſe Naturam ſive Eſſentiam Divinam in Patre, & Principium formale *quo* propinquum, quod putant eſſe ſolum Intellectum Patris: & denique Principium formale *quod*, quod credunt eſſe ipſam Paternitatem. pag. 163. n. 8.

IV. *Ex eâdem Scholâ Lullianâ.* Filius Dei non generatur à Patre per ſolum Intellectum tanquam Principium formale *quo*. pag. 163. n. 10.

V. *Itidem ex Scholâ Lullianâ.* Spiritus Sanctus non procedit à Patre & Filio per ſolam Voluntatem Patris & Filii tanquam Principium formale quo. pag. 164. n. [illegible].

VI. *Rurſus ex Scholâ Lullianâ.* Filius Dei ideo generatur, quia procedit à ſolo Patre immediatè immediatione Originis in ſimilitudinem eminentialem, ſive in identitatem Naturæ fœcundæ ad agendum & producendum. pag. 164. n. 17.

VII.

VII. Iterum *ex Scholâ Lullianâ.* Tertia Perſona ideo eſt & dicitur Spiritus S., quia procedit â Patre & Filio in actione & reactione ad ſe invicem per omnes Dignitates Dei; ut ſit Eſſentia perfecta Divina Tri-Una, & Uni-Trina quoad omnes qualitates eſſentiales: ne una earum aut ſit otioſa, aut in privatione ſeu defectu operationis. Hinc B. Lullus non ex ſolo Amore, ſed ex aliis etiam Dignitatibus Dei probavit Proceſſionem Sancti Spiritûs: aliquæ tantùm rationes afferuntur. pag. 167. n. 24.

QUÆSTIO IV.

Utrùm Pater & Filius debeant dici unus Spirator, vel duo Spiratores?

Poſitio, unica *Omnium quatuor Scholarum Catholicarum.* Pater & Filius Spirando Spiritum Sanctum ſunt Unus Spirator, ſive Unum Principium Spirativum, pag. 171. n. 2.

QUÆSTIO V.

Utrùm S. Spiritus realiter diſtingueretur â Filio, ſi ab eo non procederet?

Poſitio. I. *Ex Scholâ Scotiſticâ.* Si Spiritus Sanctus non procederet â Filio, adhuc diſtingueretur ab Eo realiter. pag. 174. n. 2.

II. *Ex Scholis Thomiſtica & Suareſiana:* Si Spiritus Sanctus non procederet â Filio, non diſtingueretur ab Eo realiter. pag. 176. n. 9.

III. *Ex Scholâ Lullianâ:* eſt eadem quæ ex Scholis Thomiſticâ & Suareſianâ mox relata, ſed ex aliis principiis. pag. 177. n. 13.

005656206